John Carter Brown.

4864

BOUND BY HAYDAY FOR STEVENS 1948

S. BRANDANVS.

DONEC PONAM INIMICOS TVOS SCABELLVM PEDVM TVORVM.

BVELL. CATALONVS.

NOVA TYPIS TRANSACTA NAVIGATIO.

Novi Orbis Indiæ Occidentalis

Ex libris Leopoldi Com. de Thurheim

AD MODVM REVERENDISSIMORVM PP.

ac FF. Reverendissimi ac Illustrissimi Domini, Dn. BVELLII CATALONI Abbatis montis Serrati, & in universam Americam, sive Novum Orbem Sacræ Sedis Apostolicæ Romanæ à Latere Legati, Vicarij, ac Patriarchæ: Sociorumq; Monachorum ex Ordine S.P.N. Benedicti ad suprà dicti Novi Mundi barbaras gentes Christi S. Evangelium prædicandi gratia delegatorum Sacerdotum Dimissi per S.DD. Papam Alexandrum VI. Anno Christi. 1492.

NVNC PRIMVM

E varijs Scriptoribus in vnum collecta, & figuris ornata.

AVTHORE

Venerando Fr. Don HONORIO PHILOPONO

Ordinis S. Benedicti Monacho. 1621.



VNIVERSO VENERABILISSIMO RELIGIO-
sissimoq; Monachorum cœtui Ordinis S. P. N. Benedicti.

Inprimis autem, & cum primis pietatis, ac liberalium Studiosorum gratiosissimo Patrono

Admodum Reverendo Domino

DN. CASPARO PLAVTIO,

Monasterij Seittenstöttensis in Austria inferiori Abbati dignissimo, Theologo; ac Philosophiæ Doctori clarissimo, Domino Patri meo in Christo observandissimo.

Salutem & felicitatem perpetuam.

NISI te scirem Reverende, & observandissime Domine, Abba omnis assentationis, adulationis, & rumoris hostem; ac etiam ob emeritam virtutem omnis laudis, & palpationis in hoc sæculo nequam inimicum, multa haberem, quæ in te & honoris, & laudis tuæ gratia dicerẽ. Atqui non vis, vt, quod à te rectè geritur, favor, aut gratia humana requiratur extrinsecus; sed vt magnus noster ajt Anglo magnæ Britanniæ Apostolus S. Gregorius magnus, ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intus à divina mercede in conscientia evacuetur. Virtutis enim gloriam suam non in ore hominum viri sapientes ponunt; sed intra conscientiam contegunt. Illi verò, qui thesaurum ambitiosi publicè portant, in suis oculis per magni; rumorum, & favorum humanorum captatorcs deprædari cupiunt; quos tandem fumi, & fungi ad extremam metam meritò dedecorant.

Quoniam verò tu magis esse vis bonus, quam dici; plura ad commune bonũ, decusq; monasticum præclara agere, quam laudare te audire; illibenter quidem facio; sed tamen taceo, & tuæ me conformo voluntati; Sileo virtutes, laudesq; tuas, ob quas non solum, cum in congregatione domus tuæ professæ Garstensi versareris, bonæ conversationis, eruditionis, & pietatis odorem spirans, Augustissimus Rudolphus secundus Romanorum Imperator, te in Administratorem Glunicensis Abbatiæ prælegit, ac destinavit; sed & in palmarium rectæ peractæ tuæ Ad-

miniſtrationis, Invictiſſimus quoque Matthias Cæſar Romanus &c. ac Seren. Archidux Leopoldus, Reverendiſſimus, ac Illuſtriſſimus Ordinarius noſter Epiſcopus Argentinenſis, & Paſſavienſis &c. accedente vnanimi poſtulationis voto noſtræ Congregationis, in Seittenſtöttenſem Abbatem ordinavit, exaltavit, approbavit, & confirmavit: taceo binas electiones Abbatiales, easq; ampliſſimas, vnam V. C. Glunicenſis poſt peractam laudabiliter adminiſtrationem tuam; alteram verò nuper tuæ profeſſæ domus V. C. Monaſterij Garſtenſis &c. quas tamẽ dignitates, tuis ſuperioribus pro ſacrificio obedientiam præferens, liberè retuliſti; officium in quo jam ornatus laudabiliter verſabaris; non amplum beneficium obſervaſti, & conſideraſti. Atqui ne promiſſis derogem, hic tibi alias laudes, atq; virtutes dedico, ac explico, quæ tibi, & mihi, ac omnibus Ordinis noſtri B. Benedicti P. P. ac F. F. participatione ſunt perquam illuſtres, & communes. Et licet hi viri non fuerint Clerici; ſed profeſſione Monachi: clarum tamen eſt, nullum eſſe, vel eſſe poſſe Apoſtolici verbi cum vtilitate præconem, niſi qui ſine pera & calceamentis ſæcularium negotiorum, vitam deniq; ſuam in obedientiam fidei, & Evangelij pacis, integraliter ſe reſignaverit. Et hoc modo etiam ipſos Apoſtolos Monachos perfectiſſimos fuiſſe, qui omnia ſua carnalia deſideria, Mundum, Peccatum, Mortem, Diabolum, ſuaq; chariſſima quæq; in hoc mundo dereliquerunt, & contempſerunt, vt ſolum Chriſtum agnum victorem ſequerentur, ac ovibus ſibi commiſſis ad ſerviendum promptiores, & perquam aptiſſimi habilitarentur. Idcircò tam alij S. Patres, quam ipſemet P. Benedictus monaſterijs exſtructis, ad propagationem fidei Chriſtianæ, ita Monachorum inſtitutum temperarunt, vt ſolitariæ, atq; actuoſæ vitæ vtilitates præclarè ſimul conjungerent; de quibus ſoli quidam modo gloriantur vitæ muneribus. Nam ſub ipſis initijs ſuæ Religionis inſtitutæ, cum Monachis ſuis S. P. Benedictus ex charitate Evangelium prædicavit, & Idola Diabolica proſtravit, vti videre eſt lib. 2. dialogo cap. 8. & 19. S. Gregor. Mag. Papæ. Ait enim S. Auguſtinus, quod nimirum ſit amoris officium paſcere Dominicum gregem, nec ſibi tantum Paſtores ſapere, & vivere debere: nam qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, vt ſuas velint eſſe, non Chriſti: vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & proximo ſubveniendi, & Deo placendi charitate, ſe vincuntur amare non Chriſtum. Quãtum ergò gratiæ amplitudinem, Chriſtus Dominus poſt Beatiſſimum P. N. Benedictum, modernis etiam temporibus Monachis & Abbatibus noſtris, in converſione gentium Novi Orbis Americani dederit, hic brevi relatione ad laudem Dei Omnipotentis, & proximi ædificationem recenſere ſtatui: & vt ſcirent nimis ſibimetipſis aliqui arrogantes, Religionem Monaſticam S. P. Benedicti, vnam quoque eſſe ex filiabus illius fortis Mulieris Catholicæ Eccleſiæ, cujus procul, & de vltimis terræ finibus pretium eſt ejus, & os ſuum aperuiſſe ſapientiæ his gentibus Indorum, Americanorumq; populis, & panem otioſe hucuſq; non comedere in domo Domini Dei ſui. Quid enim gloriantur iſti de ſemetipſis? Quaſi verò fundamentum fidei Chriſtianæ, à Benedictinis Monachis in Regionibus Indorum & Inſularum, non jam pridem prædicatum, plantatum, & evulgatum invenerint. In labores quidem noſtros aliqui poſt nos introierunt, ac meſſem præcoctam meſſuerunt. Atqui manipulos, ac Trophæa noſtra nec obſcurare, aut diripere attentare debuiſſent. Sed & quid nunc primum narrare contra iſtos Thraſones incipiam?

Magnos

Magnos Gregorios, Venerabiles Bedas, Bonifacios, Rupertos, Alcuinos, Haimones, Anselmos, Adalbertos, ac reliquos nostros Monachos, Fratresq; innumeros, Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Gotthiæ, Suetiæ, Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Ungariæ, Bohemiæ, Sclavoniæ, Bavariæ, Austriæ, Thraciæ, & novissimæ Indiæ, & Insularum ex ordine S. P. Benedicti, assumptos Ecclesiarum Magistros, Episcopos, atq; Apostolos? Nonné fortissima præsidia Christianæ Reipublicæ, litterarum, ac scientiarum studia, cum insigni pietate ad propagandum Christi Evangelium, sanctamq; Ecclesiam Catholicam conservandam, in omnibus totius prædictæ Europæ Regnis, modum rationemq; non minus operosè, quàm frugaliter, & vtiliter Monachi Benedictini edocuerunt? Nonné Episcopatus, & Monasteria erexerunt instaurarunt, conservarunt? Nonné florentissimas Academias ad juventutem in disciplinis instituendã, ac exercendam tàm ad divina, quàm politica obeunda munia, contra furias Hæreticorum optimis Regum vsi Patronis, in Italia, Gallia, Hispania, Germania, Anglia exornarunt, & instruxerunt? Ex quibus præclarè factum est, vt tanquam è fonte perenni, non solum cognitio verbi divini; sed & humanitatis litterarum studia, boni mores, omnis deniq; pietatis, & virtutis in Deum, ac homines ad hæc vsq; tempora multiplici fœnore fructus emanarent; In summa, nonné omnes Ecclesiæ Ordines Regulares post D. Basilij, & Augustini formulas spiritum scientiæ, & pietatis ab vna S. Benedicti Religione, Regularumq; suarum Idea acceperunt? Quid verò nunc primùm miramur, à Monachis Ordinis S. Benedicti Catholicæ Ecclesiæ per Evangelij prædicationem subactos novi Orbis Americani barbarissimos populos? Quid Orientis Indorum Calecutianas, Malabares, Moluccenses, Iaponiasq; gentes? quasi verò non ante mille, & vltra annos, sicut & nuper 1492. Novum Orbem (tot enim, exceptis duobus sæculis jam Ordo Benedictinus in Ecclesia Catholica floret) æquè incognitas Vrbi Romæ, & Orbi sævas, truculentas, barbarissimasq; immanis Oceani Insulas ac gentes, vtpote Daniam, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Suetiam, Gottiã, Norvegiam, vsq; ad vltimos plagæ Septentrionalis glaciales Lappones in Christi fide, & Evangelio, Catholicaq; Religione, vnus S. Benedicti Monachalis Ordo non erudierit, & excoluerit? Hi sunt, & fuerunt verbi Divini præcones, qui post Apostolorum fundamenta, pro columna ferrea, & muro æneo ex Ordine S. Benedicti Catholicæ Ecclesiæ dati sunt. In conspectu Regum ac gentium steterunt, perdurarunt, stabuntq; posteri eorum annuente divino Prophetiæ spiritu, vsq; ad finẽ mundi, sicut ad finem hujus nauticæ Relationis veridicè ex oraculo divino audies, fortiter, & firmissimè pro domo Domini Dei sui. De quorum Religiosorum Virorum laudibus, atq; virtutibus, si plura cupis discere Annales consule Ecclesiasticos Illustrissimi D. D. Card. Baronij, & Arnoldi Vvion Lignum vitæ, impressum Venetijs, & Authores ibi citatos.

Siquidem ergò Reverende Domine, Domine Abbas observandissime & c. tu Monasticam Oeconomiam mirificè, & operosè nobis exornas, nec non sapientiam magnificè tractas, & virtutem super aurum, & topazion amas, ac diligis, infinitus enim est thesaurus hominibus, & inextinguibile lumen ejus. Accipe hoc munus divinæ sapientiæ, Evangelicæ nimirum prædicationis R. R. P. P. & F. F. nostrorum in novo Orbe Americano, corumq; labores, virtutes, & laudes benigna voluntate à me tibi hic oblatas, atq; vt humilis, & humanus es semper; ita libenter

ter accipe; tuiq; semper memor, ac constans & vt virtus, sis similis, & sapiens: scis enim antea vitam, famamq; pari passu ad perennes laureolas procedere, nec est vt te his pluribus admoneam; sed potiùs nobis, tibiq; perenniter diu vive, valeq. Datum ex Cella mihi assignata Monasterij Seittenstöttensis. Anno Salutis 1620.

Admodum R. V. P.

obedientissimus

Don. F. Honorius Philoponus,
Monachus S. Benedicti.

AD BENEVOLVM ORDINIS MONASTICI S. Benedicti Lectorem.

NE succisivas horas negligerem otio, aut in vtramvis aurem (supina fretus malatia, & securitate) dormirem, vel vacuus in vmbra porrectis quod dicitur pedibus, Eurotam contemplarer Corinthiam; sed Platonis potiùs Parænetico instructus, semper, vt aliquid agerem; & si non omnibus, saltē multis prodessem. Hanc ego primus tibi nostrorum hominum, quantum scio, ob oculos collegimus, transscripsimusq; ê varijs Authoribus delitescentem membratim navigationem. Neq; putes meam solam esse imaginationem, citatos Authores scrutare, ac perlege; & res â rebus extractas esse reperies. Tu, si quid amplius inveneris, aut habes, hæc corrige, dissipa, recollige; illustriorem eloquentioremq; navigationem laboriosus apparato. Ichnographiam rapsodicam hic tibi exhibuimus, tu, si industrior es, Orthographiam, & Sciographiam adhibeto; sin minus, noli ista spernere; sed potiùs cōmeatum ad istam navigationem adaugeas, & quantum poteris, his meliora ê penu tui expoliti cerebri, vt alter â Vulcano Juppiter frontem percussus, Palladem promito; Scio enim antea his chartis, neq; Religionem vel Ordinem nostrum S. Benedicti indigere, cujus plura sunt acta in Catholica Ecclesia, quàm capere potest charta; sunt verò hoc tempore quam plurimi ejus opinionis, qui, nisi chartis compareant, de cætero neq; factis vel actis Deo, aut hujus mundi diebus illuxisse reputantur: hominem enim esse ad res duas natum: ad intelligendum videlicet, & ad agendum, scimus omnes. Historia autem præstantissimorum hominum

num consilia tam facta, quam dicta, quibus omnis Reipublicæ forma sese nobis exhibet, & quibus illa continetur, & constituitur, commemorat. Nam certè plurimum interest, ex Historia clarorum virorum voluntates, curas, studia, negotia, cogitationes, vitæ splendorem, laudis cupiditatem, & virtutis ardentissimos labores, & conatus perdiscere.

Eadem porrò totius antiquitatis memoriam vna complectitur, ac vniversis tanquam in speculo ad imitandum, conspiciendumq; labores, virtutes, honoresq; proponit. Quâ, si careremus, tenebris obruta nobis omnia procul dubio jacerent, Invictissimorum Imperatorum, Regum, ac Principum, sanctissimorumq; Pontificum Christianæ nostræ Religionis, ac Martyrum acta, atq; triumphi; resq; confessorum, Monachorum, cæterorumq; Sanctorum præclarè gestâ, oblivio consumeret. Deniq; nulla laus, nulla gloria, quâ homines ad præclarè quid audendum; vel quidpiam fortiter agendum, inflammarentur, extaret; Iubet enim majorum nostrorum trophæa inspicere, licet plenissimè ea non semper assequamur, dummodo velimus proficere, & conatu virtutem assequi, satis est. Nam vbi quis incipit nolle fieri melior, ibi deficit, & desinit esse bonus. Sunt enim hæc virtutis facinora, Fratrum nostrorum ad majora conandi calcaria, atq; exantlati laboris exemplare solatium. Vlterius verò, ne me accuses, bone Lector, velim; quod minus in omnibus seriè, atq; legem Historiæ observaverim: nam Nauticam solum narrationem instituì; Et idem conqueror, quod tu, & alij rerum, & actorum Scriptores conquesti sunt: nimirum Bibliothecæ exiguitatem, ignorantiam, negligentiamq; antiquariorum, & præcipuè turpem invidiam, ac centiceps illud, & execrabile monstrum, odium scilicet, ac rabiem in homines Ordinis Monastici, qui malitiosè involuunt silentio, aut obiter, si necesse est, attingunt ea, quæ & honoris, & laudis, ob gesta præclara nostratium sunt hominum. Illa verò pangunt, scribuntq;, quæ eorum magis ambitioni, quam totius Ecclesiæ Catholicæ, & Monastici Ordinis vtilitati, & authoritati sunt consentanea; in quos versipelles optimè illius Poëtæ carmen scriptum est:

Semper hiat, semper tenuem, qua vescitur auram,
Reciprocat Camæleon.
Et mutat faciem, varios sumitq; colores,
Præter rubrum, & candidum.
Sic & adulator populari vescitur aura,
Hiansq; cuncta devorat.
Et solum mores imitatur callidus atros,
Albi & pudici nescius.

Proinde calumniantes Zoilos, aut irrisorios Ardeliones nihili facio, qui, cum ipsi nihil sciunt, tamen studiosos figulos vellicant, quos ego vicissim ex cachino, quoniam neq; pupas, neq; vrceos litterarios conficere, ac instituere norunt; taceo prægrandes, laboriososque Colossos.

Sed vnius insuper necesse est, hic vt te bone Lector admoneam; nimirum

mirum si placebit loca inquirere tam Insularum, quam Regionum, in perlectione hujus navigatoriæ narrationis, provideas tibi mappã Geographicam, vel Topographicam, sive Chorographicam ex antiquioribus picturis deliniatam: novæ enim descriptiones Orbis, tam in Vrbibus, quam Regionibus, fluminum, ac marium denominationibus plurimum variant; ad quas tabulas antiquas, vt ad lidium lapidem recentiores, tabularum mundi descriptiones Geographicas, atque Cosmographos examinare poteris, locaque quælibet facilius indagare, ac invenire. Vale candidissime Lector, ac laboribus nostris, si tibi profecimus, vtiliter, atque jucundè perfruere.

Quid imaginibus, quid avitis ſulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo Conſule Faſti
Profuerint, cui vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus eſt in imagine ſola.



Qui virtutis iter, rectumq; inſiſtere callem
Qui fugienda docet, nec fugienda fugit.
Ille mihi ſimilis præbenti clara lucernæ
Lumina, quæ reliquos dum præit, ipſa perit.
Illius inſipiens an non ſapientia mentis
Qui ſapiens alijs, deſipit ipſe ſibi.

Ad finem præfationis ad Lectorem.

OBSERVATIO

DE MAGNETE NAVTICO.

HIC præterire non possum, quin aliquorum corrigam opinionem, qui ajunt varias ventorum Regiones, per Magnetem in Agvia Da Marear, id est, Acu Nautica designari. Ego, & alius quadratum Nauticum considerans, non ad inveniendas Regiones ventorum; sed ad terrestrium Regionum indagandas differentias longitudinis, & latitudinis concinnatum instrumentum esse, animadvertet. Considerare verò, qua ratione huc, vel illuc, in hanc, vel illam Provinciam, aut Regnum in amplissimo Oceano Nautæ navigare debeant, sola practica, & diuturna observatione compertum est. Nam valdè inæqualiter, idque discretis temporibus, versus hanc, vel illam Regionem in mari venti moventur, vt ad eum, quem desideras, locum favente fortuna pernaviges. Sub Æquinoctiali enim Circulo compertum est, multo fortiùs auras Æquoreas spirare, quam Tropico Capricorni, vel Cancri linea. Et hæc est causa, cur in Emporijs diutius Nautæ aliquando residere debeant, nimirum vt secundis, prosperisque ventis tandem aliquando vela committant.

Magnetem ergò ad duo puncta cardinalia ostendenda, Poli Arctici, & Antarctici nobis, & Natura, & Artifex adinvenit: Si tamen duo hæc puncta dici debent in Magnete, & non potiùs vnum totali vna, integraque sibi virtute impressa, & communicata. Nam si terra respectu firmamenti instar puncti est proportionibus Geometricis? Vbi igitur in hoc puncto Arcticus, & Antarcticus à Magnete designabitur, qui Magnes respectu magnitudinis terræ ferè nihil est. Nam Magnes quocunque modo à Septentrione Occidentem, vel Orientem versus vertatur, semper in Boream, vel Austrum recurrit.

Cur verò hoc accidat; est, quia virtus Magnetis est ostendere Polum, stella verò Polaris, & ejus Regio Zona frigida respectu terræ est valdè disparis amplitudinis. Ideo in mari navigans, vtpote minori amplitudinis sphæra nusquam extra illum circulum Polarem, ejusque constellationes attractivas, Acus Magnetis excedere potest, Proinde necesse est, vt semper hos duos Polos ostendat. Vide sequentia schemata:

)( )(Vnde


a
c
d
b


a
d
c
b


a
b
c
d
e
f
g
h
i
k
l
m
n
o
p
q
r
s
t
u
w
x
y
z

Vnde, si haberes globum Magnetinum, & eum super Orbem ligneum in aquam poneres; in Orbe prius linea designata A. B. id est, Oriente. & Occidente, Nunquam C. D. id est, Septentrionem, & Meridiem indicabit. Quia cum globus sit figura rotunda, & vt supponitur virtuali sua impressa qualitate omnimodè æqualis; semper in Circulum, tanquam indivisibile quid, vt punctus infinitæ figuræ ineſt, rotabitur, neque prædictos Polos quiete consistens ostendet: Cum integer globus illis Polis ostendendis tali figura respondeat. Quod secus accidet, si lineam, aut quadratum, aut alterius figuræ schema acceperis; Nam semper in lineis longioribus, prominentioribusque punctis, se Magnes determinabit, vt quietus in aqua consistens Polos ostendat. Præcipuè, si virtus in vna parte lateris sit adauctior, quam in alia: quod accidere potest, si non æqualiter in omnibus corporis partibus se Magnetis virtus diffundat, ob defectum mixtionis, quam â sua matrice, sive Minera in visceribus terræ primum sortitus est. Dantur enim in cujusvis magnitudinis extremitatibus, & medio indivisibilia plura, vel pauciora puncta, in linea lineæ, in superficie superficies, in corporis materia quibus virtus & forma cujuslibet entis continuat, nisi per accidens impediatur; ac sicut forma toti materiæ, quam informat, præsens est: ita virtus Magnetis suo corpori æqualiter correspondet, & operatur, si non vt dictum, figura, aut materia obsit, per quæ magis, vel minus, vt agat, determinatur, vel impeditur.

Mirabilia sunt, & non parum mystica, quæ Deus, & Natura huic lapidi Magnetico attribuit. Nam vt turpe Pulchrum; Fœmina virum; Mercurius Aurum, Sic Magnes ferrum ad se trahit. Et in tantum Magnetis virtus per artem, & Naturam augeri, & acui potest; vt etiam clavos infixos parieti extrahas. Item Astronomica Sphæra in se descriptos cõtinens firmamenti Asterismos ex ferro, chalybe, & Magnete concinnari potest, quæ sub Diu posita, ab ipsis Mundi Polis per motus communicationem in viginti quatuor horis cum primo mobili circa centrum mundi circumagatur. Item aliud Logicum instrumentum mutum adaptari potest, per quod ad multa centena milliaria supra, vel infra terram, aut mare profundum, amico animi mei sensus explicare possum. Et quoniam hæc Divina secreta in vulgus effutire, sapientis non est, tamen vt incredulí possibilitatem parum subodorent, pauca hic insinuo.

Sit circulus A. cui sit alius inscriptus B. In hoc spacium inscribe Alphabetum. Iam secundum artem præparatum Magnetem in Centrum C. adapta. Et si vis colloqui amico, vt se periculo Magno &c. è civitate vel locorum alicubi propripiat, aut, quod vtile sit consilium, à te intelligat: Applica acum Magnetis ad literam F. super quam literam, sicut & reliquas per moram aliquam Acus firmetur. Deinde ad V. postea ad G. Deniq; ad E. Iam combina has literas, & significat F V G E. Hoc verò advertendum est, quod omninò æquale, & ex vno, eodemque Magnete Acus, & instrumentum fabricatum sit; tuum videlicet, & amici tui absentis.

Deinde Amicus abſens ſingulis quadrantibus, aut citius, ſæpiusq; in die inſtrumentum accedat, alphabetumque obſervet, ac literas in pugillarem notet, quas Magnes demonſtrabit; cujus inſtrumenti typus hic eſt. Qua verò ratione in tantum efficax, Acus, & Magnes præparari debeat, non habeo à Deo; aut venerabili Natura, vt indignis, vulgoque hæc eorum ſecreta prodam, licentiam. Præſertim ob Idiotas, ſtupidosque Ribaldos, qui Chymiam blaſphemant. Plura ſi cupis de Norma Navicularia diſcere, lege H. Oſorium lib. 1. Colmographos, & Hydrographos, marinasq; Nautarum chartas inſpice.

NAVIGATIO IN NOVVM MVNDVM, SIVE AMERICAM.

Reverend. Patrum Monachorum Ordinis S. P. Benedicti.

QVantum jam inde ab ipsis teneris principijs Monarchiæ Hispanicæ virtus, & fortitudo belli, ac opulentia præ cæteris populis toto Orbi vt caput Europæ prævaluerit, clarum est: proinde non multis opus est verbis, vt hic de novo quippiam narrare incipiam; cum hujus Regionis Heroum acta, & facta, omnes Cosmographorum libri deprædicent, atque recensеant. Solum hic summatim adferam, nimirum nullum vnquam Monarcham, sive Chaldæus ille fuerit, sive alij Monarchæ, vti Medus, Græcus, vel Romanus, vnquam tot, tantæq; amplitudinis & opulentiæ Regiones, nimirum vltra tertiam Orbis partem, idque in quatuor dispartitis totius Orbis partibus amplissimos populos ac Regna possedisse & gubernasse; quam hodiernum Maximum Philippum Regem Hispaniarum Catholicum: qui verè ob vniversi quatuor partes Orbis, & in illis quos possidet Principatus Rex Catholicus dici potest.

SI enim EUROPAM inspexeris, videbis Regem totum, & integrum in sexdecim distinctum potentissimos Principatus amplissimum Regnũ Hispaniæ pacificè possidere. Regionem nempè longitudinis â Promontorio Finis terræ in Galissia; vsque ad Promontorium S. Crucis in Catalonia, spacium centum & nonaginta septem milliaria comprehendens: Latitudinis verò maximæ â Promontorio *de Pennas de Guzan* in Asturijs, vsque ad fretum Herculeum centum & triginta sex continens milliaria Hispanica. Circuitus autem per maritima littora & montes Pyrenęos ad septem centena quatuor milliaria sese dilatat. Si Germaniam versus oculos conjeceris, videbis Belgicam, Burgundiamque mille in circumferentia continere milliaria, Cujus verò opulentiæ Regina Provinciarum Belgica existat, omnia totius Germaniæ, Angliæ, Galliæ,

testantur mercimonicrum Emporia. Si Italiam versus visum adhibueris, aspicies florentissimum opibus Regnum Neapolitanum, mille quadringentorum milliarium. Deinde solus Ducatus Lombardiæ, cujus Metropolis est Civitas Mediolanensis: trecentis septuaginta milliaribus patet. Iam Insulas, si aspexeris; reperies in mari Mediterraneo Majoricam trecentis; Minoricam centum quinquaginta. Siciliam, & Sardiniam, quarum prima septingentis, altera quingentis sexaginta tribus milliaribus in circumferentiam extenditur. Sileo verò Insulas minores & majores innumeras, in Gaditano, Iberico, Balthico, Tyrrheno, Ionio, Lybico, Affrico, Oceanoque Cantabrico sitas, & alias &c. de quibus & sequentibus in contextu hujus Historicæ navigationis tibi citatis Geographis pluribus notificabitur. Proinde multò dignius Hispanorum Monarcha, Rex Insularum appellari potuisset â Josepho Flavio, quam illi Arabes, quos in auxilium Regi Israël Joram adveniſſe suarum antiquarum Historiarum describit.

lib. 9. cap. 2.

ASIAM nunc accedamus, cujus Regnum Ormuzirm opulentissimum, olim expugnatum à Portugalensibus, nunc Hispani, sub cujus quoque Imperio modo Lusitani subsunt, possident. Quid de Cambaia dicam, in qua grandem Insulam Diu, Damani, & Bazain obtinent. Interioris verò Asiæ partibus Indiæ Orientalis conterminis ipsis subsunt Caul, Cocin, Colan, Goa, Insula Manar, Malacca, & Emporium illustre Colombano Regni Zeilan. Item Insulæ Philippinæ, quorum sunt vndecim millia in Orientali Archipelago à Taprobana sive Sumatra, vsque ad Isthmum vel continentem Mexicum. Quarum Insularum quadraginta enumerantur, quæ ab ipsis Hispanis subactæ fuerunt Borealiores, adhuc tempore piæ recordationis Philippi secundi, Modernæ majestatis Regiæ suavissimi Parentis à quo & nomen Philippinæ Insulæ sortitæ sunt. Quarum Insularum sola Luzon ducentorum miliarium in longitudinem se extendit. Sileo hic Castella & munitiunculas, sive maximas domos Arsenalia; pro servandis mercimonijs, quas habent apud Regulos confœderatos in suis Emporijs Hispani. Sileo Insulas Salomonis novæ Guineæ sive Oceani del Zur, Pacifici & Magellanici, Castella, Colonias & Portus &c.

AFFRICAM modo percurramus, & reperies Hispanos in Oceano Australi & mari Æthiopico portus meliores præ reliquis mercatoribus possidere: nimirum Marzacabil Oran, Pegon, Mellila, Scenegon. Item duodecim Insulas Canarias, quarum quælibet nonaginta miliaribus circumscribitur. Item Setta, Tangar, Nagazan, claves sunt maris Australis, quibus Emporijs ipsi Hispani præsunt. Amplius in Regno Congo duas habent Colonias, quarum vna S. Salvatoris, altera Loanda vocatur. Jam verò quantum in ampliſſimis regnis Æthiopiæ, tam Orientalis quam Occidentalis. Madigna, Congo, Angola, Butua, Toroa, Maticuo, Boro, Quiticui, Monomotupa, Cafati, Monœmugi, quibus

bus Regibus confœderati sunt Hispani Castella Arsenaliaque ad tutandas merces, possident, quantumque auri & argenti, gemmarum & aromatum acquirunt in his Emporijs, vt & in tota India Orientali ferè inexplicabile precium est.

Nunc verò quartam partem mundi, quæ per se novus Orbis sive AMERICA dicitur, hac navigatione accedamus: & reperies, quantum magnificentiæ, quanta divitiarum, & potentiæ amplitudo Hispanis ex eo accesserit, adeo vt optimè Gregorius Bontius veterum Imperiorum cum Hispana Monarchia comparationem fecerit, Hoc modo ad Franciscum Duartum Procuratorem magni Regis Hispaniæ, *de las armadas ij exercitos*. Sic dicens: *Como el Imperio ij Sennorio del mundo passo de mano en mano, del Oriente hasta Poniente, Primero en los Chaldeos, despues en Medos, ij Persas, ij destos a los Griegos, despues a los Romanos, ij agora por la gratia de Nuestro Sennor, e major Sennorio de Christianos esta en Espannoles; el qual dios omnipotente por muchos annos conserve.* Id est: Sicuti imperia de manu ad manus, ab Oriente ad Occidentem pervenerunt, per Nationes recensitas vsque ad Romanos. Sic majus Dominium, potentia & magnificentia Christianorum ad Hispanos transijt, quod Imperium Hispanorum Deus omnipotens diu conservet.

Quis enim Monarcharum vspiam in omnibus simul & semel quatuor terræ partibus imperavit, vti modernus Archidux Austriæ PHILIPPUS tertius Hispaniæ totius; Insularum; & vtriusque Indiæ Rex Catholicus? Nonné ab Oriente, Vngaria, Bohemiâque, versus meridiem, Italiam, Croatiam, Sclavoniam, Dalmatiam, vtramque Siciliam & Septentrionales Belgas, ad vsque occidentem Hispaniam in sola Europa Austrius Hispanus imperat? Rex Salomon omnium Regum teste scriptura magnificentissimus, Ophirides Insulas non Imperio sed mercimonio, per mare requisivit; Et quantum imperium ipsius se porrexerit, sacra Scriptura explicat, cujus amplitudo sepenes Chaldeorũ, Persarum, Ægyptiorum, Arabum, Sidoniorum fines marisque mediterranei littora concluſum fuit. Neq; audiendi sunt, qui putant novum Orbem Americanum nuper primo repertum, esse Insulam Ophiris, ad quã 3. Reg. c. 9. Rex Salomon cum Hira Rege Sidoniorum direxisse classem Scriptura memorat. Nam Americanus Orbis neque Bavos, id est Simias prægrandes, nec ebur, id est, Elephantes habet. De quibus plura vide Ordinis S. Benedicti eximium Doctorem Rabanum Episcopum, in sacram Scripturam super hunc passum Commentarium, & invenies vna cum Plinio, Flavio Josepho, Ophir Insulam vnam fuisse Oceani Indici Orientalis, sive Gangetici, vicinum terræ Evilath, quæ est India vltra Gangem, qui fluvius in sacris dicitur Phison. Ad has enim Regiones vsq; se Paradisus terrestris ornatus cum quatuor fluminibus Euphrate, Tigride, Phisonte, & Indo, se extendebat. Terra autem citra Gangem dicitur in S. literis Seira, quæ Indo fluvio irrigatur: ad quam à mari rubro sive Arabico, ac Insula Asiongaber Pilotæ prædictorum Regum pro lignis

Vide lib. 8. antiq. quæstionum Flavij Iosephi c. 2.

Vide c. 10. Geneſ Generationes filiorum Noe, à quibus Inſulæ gentium diviſa ſunt. Item l. Reg. 3. c. 22. lib. 2. Paralip. c. 20. S. Auguſtinus de civitate Dei.

gnis Thyniis, gemmis atque auro quadringentorum viginti talentorum, negotiando remigabant. Verum quantum hoc eſt reſpectu hodiernæ ſummæ, quam maximus Rex Hiſpaniarum Catholicus quotannis per Vulvottas de ſubactis vtriuſque Indiæ populis vltra trecenties centena millia talentorum pondus recipit?

Iſaiæ cap. 49.

Sed quorſum hæc omnia? Et in quem finem prolata magnificentia Gazaque Auſtrij Regis Hiſpaniarum? Eo nimirum vt intelligant Hæretici Gigantes, eorumque Patroni, Sponſum Chriſtum Dominum, Catholicam ſuam magnificaſſe Eccleſiam, illique nutritores, tutores & benefactores protectoresque providiſſe, & conſtituiſſe omnes fideles Catholicos, pios, Reges, ac Principes, quorum magnificentia atque potentia longè major eſt quàm Salomonis; Sicut & CHRISTUS Deus noſter major fuit Salomone & Synagoga, qui non in monte Sion templum ſuum conſtituit, ſed in Fidelibus populis omnium nationum atque gentium cordibus. At illi qui in Cathedra Hæreticorum ſedent, nec obſervant cuſtodias DOMINI DEI ſui, vt ambulent in vijs ejus, & vt cuſtodiant cærimonias, præcepta, judicia, teſtimonia ejus, ſicut ſcriptum eſt in lege DEI.; Si quis Eccleſiam non audierit &c. ſed Prophetas Sacerdotesque contempſerint; ait Scriptura eos eſſe & fore inglorios, & publicanos, neque habebunt DEUM Patrem munificentiſſimum, quia noluerunt habere Orthodoxam Eccleſiam matrem. In domo enim impij, nihil niſi conſumptio teſte Sapientiæ libr. Iuſti autem domus benedicetur &c. Glorificabuntur enim & benedicentur omnes qui diligunt Verbum Dei, & ipſius verbi cuſtodem Eccleſiam Dei Catholicam. Quoniam donum & pax eſt electis Dei, Regibus atque Principibus, ſubijcienturque eis populi & gentes ſub pedibus illorum, ad faciendam vindictam in infidelibus populis, & increpationem in conciliabulis Hæreticorum. Hoc nobis multæ atteſtantur Scripturæ, & Coſmographorum volumina, præcipuè de trigeſimo nono potentiſſimo & Catholico Ferdinando quinto Rege Arragoniæ & Caſtellæ, qui non ſolum ab Hæreticis, ſed & ab infidelibus & blaſphemis Chriſtiani Nominis hoſtibus Machometanis & Saracenis ſuam expurgavit Hiſpaniam. Imò etiam exteras terras, Regiones, Inſulasque, in gremium Catholicæ Eccleſiæ adduxit & aggregavit. Et ob id tam in bonis gratiæ quam fortunæ, à Deo locupletatus & magnificatus eſt, cujus modo non ſolum Regnorum, ſed & virtutum hæredes ſunt, & ſucceſſerunt, Catholici Succeſſores à Philippo primo Anicij & Habſpurgij hodie Archiduces Auſtriæ, quos Deus Opt: Max: perenniter in fidei fervore Catholicaque Eccleſia propaganda & protegenda, ac felici Regnorum gubernamento conſervet. Nunc verò Lector ad navigandum & remigandum navem ſive Galeonem aſcendamus, nauticæque huic narrationi animum adverte.

Vid. arbor. Anicia. Ioan. Seyffridi Zwetalenſis Abbatis in Auſtria infer. Ord. Ciſter.

Erat

Erat Christophorus Columbus â Columba gente sic dictus, Civis & Patricius Genuensis, familia nobili in Liguria Italiæ Provincia progenitus, quem aliâs Hispani & Franci Colon appellant. Is Ferdinando & Elisabethæ Regibus Hispaniæ, Catholicis promisit (plurimis enim temporibus vir iste præclarissimus, in politissima prædictorum Regum, tum aliorum Principum aula laudabiliter conversatus est) se à continente nostro Europæo, Oceanoque Atlantico novas terras & Insulas inventurum, si navibus & rebus ad hoc opus pertinentibus necessarijs instrueretur. In quibus Insulis ac terris & augeri Christiana Religio posset, & maxima vis auri, gemmarum, aromatum, & quæ generi humano vsui forent complura, adipisci & haberi possent. Expendebat enim prudentissimus hic Archinavarcha Columbus, quantum non solum sapientiæ & profundi sensus admiratio in dirigendis navibus, ac feri maris fluctibus, ventorumque procellis declinandis à Deo hominibus ad sui inexhaustum thesaurum, ac omnis bonitatis abyssum manifestandum lateret, atque vnicum hoc esse omnis Principatus & Monarchiæ supremum, ad res necessarias, jucundioresque cõquirendas, jam inde ab Adamo ac Noë nobis hæreditate relictum præsidium. Inventum itaque hoc novum, & hæc nova Columbi promissio cogitatioque navigandi, cum in Hispanica, Lusitanica, tum aliorum Principum ac Regum aula proponeretur, sæpius tanquam delirum quid irridebatur, & contemnebatur: adeo enim navigandi ratio, vt Petrus Maffeus ait, Anno scilicet 1239. vel 1339. aut 1439. tunc temporis vel apud Hesperios populos fuit inscitia; maritimo videlicet vsu Astrolabij, ac magnetina tabula ejusque vsu nondum invento, vel suppresso in tenebris, vt ab ora discedere, & alto Oceano Atlantico, se committere nautæ, nequaquam auderent: sed littora cautè legentes, vbi ad æstus maris aut prævia periculosa pervenerant, quasi repagulis quibusdam à natura seu numine objectis reciperẽt illico sese, ac longius tendere quodammodo nefas arbitrarentur. Extra Chaunariam, Canariasque Insulas siquidem, quod reditum ad suos desperarent, nemo veterum nautarum quibus circa Promontorium Atlanticum, cum remis saloque res fuit (*Cabo de No*) vocant, Hispani, tranfretare ausus erat. Autumnabantur enim Castiliani cæterique Hispanienses populi caput finis terræ suam esse Hispaniam, ac nullibi vlterius populos & Regiones in rerum natura supereſſe. Licet Joannes Rex Lusitaniæ *Gran Commendador* militũ de Avis fretum Herculeum transfretasse. Anno 1420. ac tres Insulas extra Hispanicum Orbem vulgò dispersas &c. adinvenisse dicatur.

Pet. Maff. Indi. Hist. lib. 1.

Vide Arnold. Vvion de ordinibus Militaribus Equitum sub Reg. S. P. Benedicti Professos p. 1. libr. 1. fol. Venet. 107.

Abilæ etenim & Calpæ Promontorium, quos montes columnas Herculis esse ait antiquitas; volvereque ex veteribus quidam, hos vnum & idem jam dudum colle continuato fuisse montem, Herculeaque virtute fuisse divisum, & ex Oceano Atlantico quod ante non erat intromissum terris mare: quod postea in hodiernum vsque diem mediterraneum dictum est, transgredi nefas credebatur: Herculemque inscripsis-

se ferunt primum his montibus Epicinion, NIHIL VLTRA. sed PLVS VLTRA cum suo Navarcho Christophoro Columbo Monachi de ordine S. Benedicti toti mundo & vniversæ Christianitati terrarum latissima spacia atque Imperia indagarunt. Atqui cur Nautis priscis succenseat? aut eos oscitantiæ arguat nostratium Nautarum novitas? Quis enim immensum, incognitumque Oceanum perveſtigare auderet, quem antiqui omnium Deorum Patrem venerabantur? Quippè hoc elementum terras devorat, flammas necat, in sublime scandit, & cœlum sibi quoque vindicat. Quid mirabilius potest esse aquis in cœlo stantibus, quæ fulmina nubium obtentu elidit, ipso secum discordante mundo? Ex quo Elemento sic Deo sua liberalitate nostris opportunitatibus providente ingens quidem mortalibus commodum consecutum est. Nunquid enim non spectare licuit divino præstante lumine, rates humano excogitatas ingenio, & miro artificio fabricatas nunc remigio sulcantas undas, nunc velo tenso ventorum impulsas spiritu fortunas quibus omne grande defertur onus? Quis eorum excogitavit audaciam, qui se primo vndis incognitis, & inexpertis flatibus se crederet? Horror equidem est horum recordatio; tamen fuit audentium fortuna, vt transfretantes peregrinatione longinqua, non dicam cursu solum sed volatu celeri delati, aurum, metalla, vestes purpureas, aromata, lapides prætiosos ebur, peregrinas aves, balsama, ligna nostris sylvis incognita, gummas & sudores arborum, radicesque non omni solo familiares, ex quibus tam sanis quam ægris corporibus, medicamina atque oblectationes sequuntur innumeræ, indagent. His Oceani navigationibus factum est. Vt Cymber & Celta, altero orbis angulo nonnunquam sentiant; qui sint Arabes; quid mare rubrum: quid Sabæa nemora sudent. Hyrcanus & Tanais incola, Atlanticos noscant, Hesperidas, & eorum etiam gestent aurea mala. Feruentes Æthiopes, & Nilum, & Lybicas postes gelidus Hyperboreus lustret & Sarmata. Sic & Hispanus Mauruſque visitet Persas & Indos. & Caucasum & Thyles vltima calcet Taprobanis littora: Et tum sua invicem permutantes bona, non solum mores, legesque & habitus mirentur. Hos ergo præclaros fortitudinis & vtilitatis fructus & effectus observans Nobilis Christophorus Columbus & Heroas fortissimus quem verè virtutes & liberalium scientiarum artes, Nobilem effecerant, nequaquam à cogitationis suæ proposito desivit, Sed sibi certissimè jam à naturali rerum cognitione ac Philosophia (Mathematicas enim disciplinas optimè callebat) persuasum habuerat: fieri nimirum non posse, vt vltra centesimum & septuagesimum longitudinis gradum, in Æquatore, nullis prorsus interiacentibus terris sese Oceanus porrigeret. Siquidem plurimis annis jam in mari hanc rem arduam percontandi gratia versatus fuerat; Ventos, Oceanum, ejusque motus observabat: idque tandem quod reabatur, omnium rerum magistra assecutus est experientia. Nam crebris ac ferè continuis vehementissimis ventis, ab Occidente vbi novi Orbis situs erat, (Hispaniam versus quæ Orientalis est, respectu Americæ; Sunt enim

mirante de nauios para las Indias.

nim sibi illi populi Amphiscij &c. Et Antichthones, id est, Antipodes Hispanis) Oceanum maximè commoveri turbariqúe fluctibus animadvertit: cum tamen Physica doctrina notum sit; ventum exhalationem calidam, levem, & siccam esse, è terra stellarumque attractione elevatam & lateraliter circa centrum mundi quod est terra; motum; hoc itaque dato, fieri non putabat, quin causæ effectrices ventorum darentur nimirum Insulæ prægrandes, è quibus talis exhalatio sublevari posset & prædictus ventorum effectus Marisque æstus, accessus & recessus procederet. Accedebat fortassis & altera (vt ego auguror) de Geometricis desumpta disciplinis ratio. Centrum nempè gravitatis in vniverso minus salvari posse, si in vna parte mundi plus terræ, quam in altera collocaretur. Cum manifestum sit, aquam levidensius elementum esse, quam terram, quantumvis versus Occidentem Solem hujus liquidi elementi major concederetur copia, quæ terram solumodo magis humectat & aggravat; vnde necessariò centrum gravitatis nobis advertẽdum est, ni dicere velimus quo nihil absurdius terram nimirùm secundum aliquid nihil; in medio mundi existere, & non esse concentricum vniverso. Licet enim terra sit de corporibus Assymetris, ob antra, montes & Insulas, nihilominus Perifericæ mensuratæ magnitudinis, aut gravitatis, ad proportionatam Harmoniam terra correspondere debet. Hoc quidem certum est, in principio creationis terram cum aqua, vnam concentricam Sphæram mundi habuisse. Vt Job 38. c. Moyses 1. Gen. Ierem. c. 5. Psal. Dav. 104. attestantur. Congregentur nimirum aquæ ad vnum locum, & appareat arida &c. Vtrum verò plus maris quam terræ sit, ex Esd. lib. 4. invenies, qui dicit sex partes terræ siccasse Deum ad generationem vegetabilium, septem verò aquæ tribuisse in magnitudine extensiva super terram. Philosophi autem Spagyrici ajunt, vni pugillo terræ quatuor aquæ in sui profundo densitatis aut potentiæ correspondere: densius enim & plurioribus constans partibus firmiter & benè compactis terra quid est, quam mare porosum. Vbi ergò plus liquidi terram humectantis abundat, illic etiam centrum gravitatis inclinare atque excellere perpiscuum est. In Oceano igitur Occidentali, mari, continentique nostro oppositio, terras discoopertas ab aquis, quia levior sicca quam humectata terra est; inveniri potuisse ad salvandam centrorum æqualitatem navigatione Columbi manifestum est.

Accedit & illud cur hic Columbus plures terras in Occiduo mari supereſſe ratus, nempè his terminis, mare non contineri potuisse naturaliter, sed vndique à Septentrione in austrum diffluere, terrasque cognitas, in australi parte, & ea quæ in ipsis sita sataque essent, stirpes & animalia, tanquam altero Deucalionis diluvio interire debuisse; ni hæ Insulæ prægrandes noviter inventæ repagulum præberent. Aqueum etenim mare natura sua ex altioribus in loca decliviora fluere consuevit, donec se ipsam Sphæraliter exæquet, à centro suo æqualem distantiæ circulum describens. Ex quo propria causa & effectus maris agnoscitur, cur non terminos suos transgrediatur, & qua ratione divina sapientia

entia fundamenta terræ fontesque aquarum ad libram appoſuerit. Proinde datæ ſunt & diviſæ multæ Inſulæ Regioneſque prægrandes altiſſimis montibus, & ingentibus cavernis, hiatibusque excavatæ, alveique capaces tantæ congregationi aquarum veluti calices anphoræque immanes, in quas licet Æſopus ignoraverit, nec dari poſſe in convivio Xanti putaret, mare Deus noſter omnipotens & glorioſus inhauriret. Abyſſus enim terræ ſicut veſtimentum ejus &c. Quis ergò credat quam aliqui adferunt imaginationem; nimirum has novas Regiones & alias Inſulas prægrandes abyſſalesque cavernas, à noſtro continente, vel alijs nobis notis littoribus Aſiaticis & Affricanis, per maris corroſionem, aut diluvium partiale eſſe diviſas! hoc ſi verum eſſet, certe Daricus Iſthmus jam pridem à mari Mexico perforatus eſſet, & ab Oceano Americæ Boreali, aut ſinu Mexico in Oceanum pacificum, aut Magellanicum vulgò mare del Zuur pervius & transfretabilis foret. Sunt enim à Nombre de Dios vſque Panama 18. tantum milliaria. Et jam vltra centum annos ab Hiſpanis nullum veſtigiũ memorabile repertum eſt, per quod conjecturari poſſet à maris fluctibus Daricum Iſthmum eſſe violatum. Quod ſi factum eſſet nuper non maximus Rex Hiſpaniæ Philippus præcepiſſet conſulere, qua ratione perfodi Durica poſſet, vt compendio breviori, in Indiam Orientalem ad Philippinas Inſulas ab Hiſpaniæ littoribus capite promptorioque bonæ ſpei neglecto, trium annorum cum dimidio ferè longiſſimo periculoſiſſimoque itinere, pro mercibus navigaretur: cum à continente Pervano & Darica, ſpacio duorum menſium in Philippinas Inſulas nautis ſit tranſitus, adeò vt ad ſummum ſex menſium ſpacio favente fortuna maris ab Hiſpania in Philippinas Inſulas navigari poſſit, cum alias vt ſupra dictum tota Affrica & Aſia circumfretanda eſſet. Proinde non maris corroſio has Regiones & Inſulas omnes in mari fecit, ſed ille qui dixit, tranſeant aquæ in locum vnum & appareat arida, tunc varios mundos ſive regiones condidit Deus, eoſque plantis & animalibus congruis exornavit, vt futuris hominibus eſſent in cibum & juvamen.

Non tamen negaverim per terræ motus aliquas Inſulas prægrandes à ſuo continente ſæpius avulſas eſſe; cujus Exemplum nobis Nigropontus, & Archipelagus Græciæ in ſuis multiplicibus Inſulis manifeſtat. Et ipſa Regalis Sicilia in mari Mediterraneo ſita, ante duo millia annorum â Continente Italiæ ſive Calabriæ Regno prope Meſſinam per terræ motum in integram Inſulam ſegregata eſt. Cum ergò in his Inſulis jam anteà animalia fuerint, facile illa quæſtio ſic elucidatur, quo nam modo tam nocua quàm vtilia in has Inſulas, & maximas Regiones animalia advenerint. Et quia quatuor Orbis partes ſe invicem amplectuntur, Aſia enim major connectitur Americæ Septentrionali propè fretũ Ainan: Et Affrica Europæ; Per Armeniam, Siriam, Paleſtinam, & fines Arabiæ, ac Ægypti, per quos paſſus & repere, & diſcurrere in has quatuor Mundi Regiones, tam invtilia, & nociva, quam vtilia animalia & advenire potuêre. Non enim credibile, quod vel Elephas, vel Camelus

lus, taceo Oviculas cum Lupis; Lepores cum Vulpibus, aut Canibus; aut Feles cum Muribus, tam ferocia, spacioſaque maria pernatare potuerint, niſi dicamus hominum curioſitate per navigia prædicta nociva animalia in eas Regiones importata eſſe, ſicuti noſtri Principes in Europa hodie aſſolent in ſuis politiſſimis aulis beſtias ferociſſimas, vtpotè Leones, Tygrides, Vrſos, ad oſtentationem alere. Et ipſorum Hortulani tam ſalubres quam venenoſas herbas, & plantas in eorum viridarijs ad oculorum complacentiam, & varietatem conciliandam excolere.

Illi quoque procul abigendi ſunt, cum ſua Philoſophia, vtpotè Ceſalpinus, & alij, Cœlum eſſe maritum; Terram verò vxorem ejus ajunt: Telluremque â Cœlo, vel aſtris ejusdem impregnari animalibus, & herbalibus Plantis autumant; ac proinde ob hoc tantam varietatem animalium, & arborum quatuor mundi Regionibus accidere. Quod quam abſurdum ſit præter Moyſen, & Ariſtotelem conſulant; quorum doctrina eſt quodlibet vivens produci; præcipuè ſi non inſecta fuerint, ex ſemine habentem vitam in ſemetipſo, ſive ea anima vegetativa; vel ſenſitiva prædicta ſint, ac perperam illud Ariſtotelis vſurpare: Sol & homo generat hominem &c. cum id tantum de vniverſali cauſa indaganda ad concurſum ſublunarium actionũ ipſe Stagirita ibidem ſic diſputaverit. *Geneſ. c. 1. lib. de generat. & corrupt. & animal.*

Mira præterea res eſt & ſtupenda nimis ijs præcipuè, qui mare navigarunt, & inſpexerunt; Inſulam vnius milliaris, germanici latam & longam in Oceano tot mille ſtadijs aquarum circundatum, fluctibuſque centum quadraginta cubitorum, aut vltra impeti, non autem obrui? In ſublunari enim rerum diatribe, divam ſapientiam & naturam mirum in modum ludere, & ab initio libraſſe fontes aquarum & fundamenta terræ appendiſſe, certaque lege, ac gyro valaſſe abyſſos legimus, & Salomon atteſtatur, nihilq; fruſtra condidiſſe aut feciſſe etiam Phyſici profitentur. Et ſcire debes, quod natura non operatur, niſi per ſuum velle, eo quod reſpicit voluntatem magiſtri ſui Dei Domini noſtri, vt ſibi ſatisfacere poſſit, quia Deus naturam creavit, & per illam voluntatem Deus fecit, & facit per naturam omnia, quæ videmus & non per miraculum ſemper. Sicut tempore diluvij; quando per amicabilem concordantiam Deus ſupremus, ſubtraxit ſtellarum virtutem, quæ trahebant aquas à maribus, quæ in alto pendebant ſupra regionem aëris, & poſtea ceciderunt inferius in pluvijs aut grandinibus cooperiendo totam terram, quia derivatæ fuerunt à parte illius Climatis, in aliud à Boreali Zona mundi in Auſtrum aut centrum &c. vſquequo ad ipſum diluvium aquæ ſuffecerint; poſtea ad locum ſuum reverſæ ſunt, vnde venerunt ad complendum divinum velle. Vtpote duo ſunt Poli, vnus Arcticus in parte ſuperiori Septentrionali. alter verò Antarcticus ſub in terra parteque Auſtrali. Polus Arcticus habet vim magneticam attrahendi. Polus Antarcticus habet vim magneticam expellendi, quod natura nobis in magnete exemplum oſtendit.

Trahit igitur Polus Arcticus aquas per axem terreſtrem, quæ cum intraverunt, iterum per Poli Antarctici axem erumpunt; & quia aër

non permittit vacui inæqualitatem, coguntur aquæ iterum ad Polum Arcticum tanquam centrum ſuum reverti, & ita continuè curſum ſuum obſervare. Huic obſervationi adſtipulantur Coſmographorũ Nautarumque cartæ Hydrographicæ: vbi: Sub Polo Arctico à 80. gradu vſque ad 90. quatuor maximos Euripos ac fluminum oſtia ponunt, per quos meatus indeſinenter Oceanus Borealis fertur, & ibidem abſorberi judicant.

Vid. Theodoſ. de Bry tabul. Vniverſa. novi orbis excuſſ. 1596.

In Polo verò Auſtrali hæc obſervatio nondum patuit, quia illa terra adhuc nondum plenè detecta eſt. Ex hoc curſu igitur à Polo Arctico ad Polum Antarcticum per medium, ſeu axem mundi, aquæ per poros terræ diffunduntur, acceſſus receſſusque maris deprehenditur, & ex hoc ſecundum majus vel minus ſcaturigines oriuntur, & poſtea in flumina excreſcunt congredientes; ac iterum illuc vnde egreſſæ ſunt reverſuntur, & hoc motu univerſali inceſſabiliter fit. Has aquæ operationes aliqui ignorant, ſimul & motum vniverſalem, & Polorum habitudines, & in corde maris ſuperfluum aquæ conſumi putant, & ab aſtris alios imbres generari & induci cominiſcuntur: cum tamen nihil materiale progenerent ſidera, niſi quod ſpirituales influentias imprimant, quæ tamen neque pondus rebus dant vel ſubſtantiam: ex quo vides qua ratione Deo & Naturæ obediant elementa.

Etſi Deus vellet, quod duo montes, vnus ab Oriente, & alius ab Occidente, in vno congregarentur loco in medio terræ, vt eſſet vnus mons: ſtatim fieret: & non per miraculum, ſed per aperta & habilia inſtrumẽta virtuoſa, quæ Deus poſuit in natura qua ſuas faciunt actiones naturales &c. licet nobis incognitæ lateant ſæpius.

His itaque & quam plurimis alijs Philoſophorum de aquarum mariſque ac terræ ſitu ac elemento perſuaſus rationibus Chriſtophorus Columbus, incepto operi magis inſtitit, avidiuſque Regiam efflagitans audientiam, cauſas & rationes hujus perarduæ navigationis, certiſſimæ verò vtilitatis, ſpeique pleniſſimas Regali Senatui propoſuit. Quas tandem cum aliquando bello Granatenſi Saracenico confecto ac fœdere inito cum Carolo 8. Gallorum Rege de ſuper vtriſque Siciliæ Regno rationes perpendiſſet, votis Columbi annuit, plurimum adſtipulante & adjuvante Reverendiſſimo Petro Conſalvo Mendoza Toletano Archiepiſcopo, qui ſicut & autoritate plurimum apud Regem pollebat, ita ſapientia & ſingulari ſua prudentia ac pietate, fideique propagandæ ardore omnes facilè antecellebat, propoſitumque navale iter Columbi mirificè adjuvit & promovit. Ex Regio itaque fiſco navigia deſtinata ſunt; vnum onerarium caveatum, & alia quæ ab Hiſpanis Caravelæ dicuntur. Inſuper decem & ſeptem ducatorum millibus numeratis pro rebus neceſſarijs ipſi Columbo, cæteriſque naucleris militibuſque luſtratis, & in triremes aſcitis, Hiſpanicis littoribus circiter Calend. Septembris, anni ſecundi & nonageſimi ſupra quadringenteſimum milleſimum Chriſti Salvatoris annum diſceſſit. Multi non ſolum homines religioſi; ſed & reliqui vulgares homines cum lachrymis à Deo precabantur,

tur, vt benè & prosperè illa tam periculosa navigatio omnibus eveniret, & vniversi re benè gesta incolumes in Patriam redirent. A multis tamen interim is fletus atque lamentatio tantoperè fiebat, vt funus efferre viderentur. Sic enim dicebant: En quo miseros mortales provexit cupiditas & ambitio? Potuitné gravius supplicium hominibus istis constitui, si in se scelestum aliquot facinus admisissent? Est enim illis immensi maris langitudo peraganda, fluctus immanes difficilima navigatione superandi, vitæ discrimen in locis infinitis obeundum. Non fuit multò tollerabilius, in terra quovis genere mortis absumi, quam tàm procul à Patria marinis fluctibus sepeliri, & à monstris devorari? Et hæc quidem erat compatriotarum in itinerantes persævi maris ad incertas regiones lamentatio.

In alto Oceano Atlantico Fortunatæ Insulæ sitæ sunt, distantes à littoribus Bæticis levcis trecentis, singulas verò levcas navigationis Hispanicæ periti quatuor millia passuum, continere affirmant. Has itaque Insulas, quas veteres Fortunatas vocitavere, ob vberem & fœlicem illius terræ glebam, moderatissimamque cœli aërisque temperiem, atque omnis generis ferè fructuum dulcissimorum copiam, saccari cumprimis, quod in proceris instar maris paludium cannis intus medullæ pinguissimæ speciem continens crescit, ab Hispanis Canariæ, vel vt in sua Orbis descriptione secunda pag. c. 11. mavult Myritius à prægrandis canibus nominantur; Canarias Insulas Christophorus Columbus priusquam se vastissimo Oceano Indico sociorum vitam fortunatæ committeret appulit. Sitæ sunt autem hæ Insulæ ad elevationem poli, aquilonaris graduum viginti sex, in fine secundi, & initio tertij climatis: ac ideo ob illius aëris clementiam; telluriscque situm vestibus impendio non indigent, vel quia quod credibilius est, patrius is modus & consuetudo poscebat, homines nudos invenere: nullo sub Rege aut lege viventes. Agrorum vel hortorum nulli termini synceræ mentis nudæque vt corpora fidei homines, quibus aurea priscorum sæcula & Regnum Saturni esse nostri contuebantur. Abundant enim inprimis dulcium aquarum scaturientium fontibus, atque pluvijs perennibus, viridibusque arboribus, herbis, fructibusque odoriferis, nempè palmæ dactilis, sandalo fragranti ac Cypariſſo, perdicibus, pavonibus, palumbis, miri & varij coloris sylvestribusque apris, pecoribus ac capreis, cuniculis, vuisque modo prægrandibus in longitudinem quinq; palmorum ac præstanti saccaro, Siracusano exculta modo per Hispanos vltra modū divites effecti sunt.

Has olim Insulas Fortunatas sive Canarias, imperante Justiniano Imperatore S. Machovius Abbas, vel ut alij nominant, Machutes, cum Beato Blandano, vel vt Maurolicus in Martyrologio Brandano, trium millium Monachorum in Britannia Abbate de Scotticis littoribus solvens, per integrum septennium, in Oceano Hyperboreo Devcalidonio navigans perlustravit. Ita enim Maurolicus Messanensis Abbas suum menologium decimo octavo Calend. Iunij pronunciat: In Britannia S. Brandani Abbatis, qui cum quatuordecim Monachis perlustrans

Oceanum & Insulas Fortunatas, mirabilia vidisse refertur. Et licet recens inventio harum Insularum quibusdam Navarchis attribuatur, vtpote Ioanni Consalvo & T. Vasæo & quibusdam alijs: vtpote Henrico Regis, Ioannis Portugaliæ filio magno magistro Ordinis IESU CHRISTI de Portugallo &c. cum Affricam & Mauritanos jussu Ioannis Regis bello peterent, autoritati tamen & antiquitati Ecclesiasticæ Historicæ credendum est, has nempè antehac soli Brandano fuisse cognitas, & nobis detectas.

Canariarum itaque Insularum sunt numero septem. Prima & præ reliquis magnitudine illustris & magna Canaria Cathedrali Ecclesia, Regio consilio, atque Inquisitorio hæreticæ pravitatis tribunali insignis. Secunda Teneriffa. Tertia Palma. Quarta Gomera. Quinta Ferrea. Sexta Fortisventura. Septima Lancellotum, Lansarotis Hispanis appellatur; Inter quas Insulas instar miraculi mihi videtur, esse ferrea Insula fluvijs, fontibus, cisternis, puteisque carens. Verum tamen vnicam in ea esse arborem compertum est, muris vt in EUROPA fontes circumdare solent, cincta, nuci arbori Europæo non dissimilis, quæ aquam ad omnes vsus è folijs vbertim stillare dicitur, quod de superfluo nimis idque humidissimo arboris illius nutrimento quod in superiora calor pellit ratio naturalis suadere videtur: idque affirmat puto Aristoteles libro secundo de plantis cap. 1. In harum jam recensitaram Insularum vna quondam Sanctus MACLOVIUS vastæ magnitudinis gigantem gentilem, mortuum sacris precibus in vitam restituit: qui cum sacri Baptismatis fonte lustratus fuisset, Paganorum, Iudæorum, Christianorumque in infernum damnatorum, cruciatus, & pœnas enarravit. De quibus si placet pluribus consulas Vincentij Historiam, & Sigebertum Gemblacensem in vita hujus Sancti. Sunt autem miranda & stupenda, quæ gessit hic S. Abbas MACLOVIUS in his Insulis, & magno quidem Canariensium populorum salutari fructu, si ea tantummodo semina Christianæ Religionis, semel in sinum mentis & rationis insita, fideliter fovissent & custodivissent. Ipsum quoque hodierna adhuc die pro Patrono populi Canarienses venerantur & Patres Franciscani; vti refert Gonzaga in Provincia Canariarum libr. de origine Seraphici Ordinis &c.

Vincent. Histor. lib. 21. c. 97. & Sigeb. Gembl. cap. 7.

Sed audi amabo Lector benevole, ipsum Sigebertum Gemblacensem plenius de hac S MACLOVII Abbatis mirabili navigatione differentem. Aitenim S. MACLOVIUM, qui etiam Machutes ab illo nominatur; hujus navigationis primo inventore S. BRANDANO suo Abbate, cui sub S. Benedicti Regulari disciplina, olim S. MACLOVIUS suberat in Scotia, Insulam in Oceano sitam videre voluisse, quæ inter reliqua felicitatis & beatitudinis commoda, præmiaque præ cæteris terris, ac Insulis abundare credebatur; hoc tamen miraculo tenus dignum reputabatur habere, quod cœli cives in ea ferebantur habitare. Super hoc si consideretur rei novitas, ex eo illis Insulanis hæc vivendi imputabatur felicitas, quia apud eos in nullo exorbitabat moralis rectitudinis probi-

Is: S. Brandano.
Cabo Finis terræ:
Hispania.
Gades.
Babaria
Mauritania.
M. Attlas.
Africa.
Cabo de No:
Insulæ Fortunatæ.
M. Canaria.

probitas: imò in omnibus potenter regnabat naturalis legis, secundum dictamen rationis sanctitas. Delectatus ergò vir Sanctus tam favorabili Nuncio, totus ad inquirendum tam laudabilis Insulæ incolas summo animi desiderio ferebatur; quoniam ejus conversatio, licet in terris positus, jam in cœlis erat, & eum inter mundi scandala commorantem iniquitatis humanæ multiplicitas offendebat; saltem illic vitam optabat traducere, vbi justitiæ vestigia remansisse audiebat. Ad hoc eum Magistri sui & Abbatis S. Brandani etiam exemplum animabat, cujus tota ad fœlicem Insulam quærendam, non minus intentio animusque ardore flagrabat. Tandem eo res deducta est, vt cum centum & octoginta hominibus, idoneis navibus ad fœlicem Insulam per Oceanum inquirendam veherentur. Cum verò per illos menses quibus jam diu navigabant dies Paschalis incideret, ac reliqui omnes festivè se gererent. Hic S. Maclovius cum Abbate S. Brandano Psalmos hymnosque Deo modulantes, etiam incruentum Christi Domini sacrificium in Missæ officio celebrare & offerre voluerunt. Sed cum nihil præter cœlum & vndique aquam circumspicerent, jugiterque triremes natarent fluctibus, quod optaverant minimè perficere potuerunt. Attamen Dei miserantis protinus illis eorum desiderium complentis adfuit auxilium & potentia, ex improviso etenim Cete grandissimum (Balenam vocant aliâs) præsto adfuerat, & immobiliter rupis instar se continentis, super corporis molem illius, Pilotæ triremem applicant, ac sacrum Missæ officium hi Sanctissimi viri celebrantes, agnum paschalem prævia confessione omnibus socijs distribuunt, id est, sacram communionem, cujus passionis mysteria & sanguinis effusionē glorioſamque resurrectionem, tunc vniversa Christiana celebrat Ecclesia. Quale spectaculum hoc fuisse autumas? quale gaudium his pijs ac simplicibus viris Deum tote mente ac viribus quærentibus, cum tam in immani marina bellua sacra pignora Deo Patri in sancto Missæ sacrificio offerri aspicerent, supplicesq; venerarentur. Neque hoc factum cuiquam impossibile aut valde mirū videri debet; in sacris perficiendis S. Maclovio brutam maximamq; obediviſſe balenam, cum simile quid in minutioribus bestiolis S. Bennoni in Misnia, Germaniæ Provincia obtigerit: Is namque Episcopus propè Ecclesiam ranas perpetuò silentio obmutescere jussit, qui intra Missæ officium proximo in lacu sibi molestè oblatraverant. De quo prodigio vide Hieronymum Emserum ac Surium tom. 7. in mense Iunio: Sacris itaque mysterijs Paschalibus peractis, cæptum iter prosequuntur, magnamque Canariam Insulam Fortunatam applicant; eamque perlustrantes, nnper hominis proceri, giganteæ molis instar sepulti tumulū invenerunt: divino flamine inspiratus S. Maclovius virtutem invocat S. Trinitatis, cadaver resurgere jussit, ac redivivum interrogat, vnde & quis ante & cujas fuisset, quomodo & qua ratione mortem opetijsset? mirabilia tandem fassus est, dixitque se occisum à suis Parentibus, & hoc sepulchro conditum fuisse. Superstitiosi enim vltra modum quam dici potest, fuerunt populi Canarienses; sacrificulos enim quam plurimos habe-

habebant ſacrilegos, qui Tyrmam ſupra altam rupem collocaverunt, (quod delubrum ſeu Idolum fuerat Diabolicum) perſuaſeruntq; hi nequiſſimi ſacrificulæ Canarienſibus, vt ſe multum læti ac hilares pſallentesq; idolo illi de rupe voluntariè præcipitarent; aſſeverantes illorũ animas ob honorem Tyrmæ, ſic corporibus exutas, mirum in modum beari, aliq; vitæ in ſtatu collocari, vt deinceps nuſquam amplius emori poſſent, ſed æternis delitijs perfrui concederetur. Gigas igitur iſte poſtea ab eodem ſupradicto ſancto, Cathegizatus & baptizatus eſt: porrectoq; illi venerabili Euchariſtiæ Sacramẽto, decimo quinto die piè poſtea defunctus obijt. Factum iſtud incredibile q̃busdam videri poſſet, niſi Theologorum rationibus aſtrueretur: Aſſerunt enim Dei diſpenſatione præter leges ordinarias, decretum ſuſpendi poſſe damnationis, & pro præſentibus tantum delictis, vel infidelitatẽ puniri ſupplicijs hujuſmodi animam defuncti, donec reunita corpori ad pias aliquorum Sanctorum preces meritaq; prævisa Deo, ſalutaribus expiata ſacramẽtis ſalvetur. Aſſeruntq; nonnulli ſic Trajanum Imp. à S. Papa Gregorio Magno liberatum precibus ac bonis operibus, adeo vt etiam ob ejus expiationẽ Deus ille morbum acerbiſſimum podagræ toto reliquo ſuæ vitæ tempore inflexerit.

Vide D. Thom. Aqui. 4. ſent. diſt. 45. q. 2.

Elapſo itaq; ſeptennio cum multa præclara hi duo Sanctiſſimi Viri, in eruditione fidei Canarienſibus opera præſtitiſſent, ne à propoſito deſiſterent, indagando nimirum illã beatam felicemq; Inſulam, vlterius navigare inſtituunt; gemebundi ac ſuſpirandi litus maris obambulantes, Chriſtus Dominus in forma adoleſcentis, nautam ſimulans ſe illis adjunxit, ediſſerens quicunq; felicem Inſulam adire cuperent, quoniam ſitum & illius iter quàm optimè perſpectum haberet, eo maturius ſi velint vecturos eſſe. Gaviſi itaque hoc nuncio pollicitisq; ſanctiſſimi viri; conſcenſaq; navi, eos hic præclariſſimus Nauta quam citiſſimè in Inſulam Aron transvexit. Hanc Inſulã aliqui putant eſſe illam quam aliqui Geographi & Hydrographi Inſulam S. Brandani vocãt è regione terræ Cortereali, ſive novæ Franciæ Americæ Septentrionalis ſitam in Oceano Boreali. Ideo verò Inſulam hanc Aron prius appellatam eſſe ajunt; eo quod Sanctiſſimus ibi multorum millium Monachorum Abbas & Patriarcha illibatã vitam Aron tranſegerit, quibus Religioſiſſimis Monachis omnis converſatio in cœlis fuit, & Angeli Dei aperta viſione ſæpiſsimè ipſis apparuerunt. De q̃bus plura vide V. Bedæ Hiſtoriam gentis Anglorum, & vitas Patrum ejuſdem & reperies multa millia Sanctorum Monachorum & Sacerdotum, Scotiam, Angliam, & Hiberniam, Inſulasque maris Britanici ſanctiſsimè olim inhabitaſſe, jam verò omnia defædarũt Religionemq; ſubverterunt inprimis Cleri monachorumq; oſores, deinde putridi Calviniſtæ vt meritò de his immundis oſsibus hæreſumque locuſtis turpiſsimis, cum Propheta Joel exclamare poſsimus: Reſiduum cruce comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo. Sic omnes ſerpẽtes Pharaonis comedit baculus Moyſis, devorabuntur conterenturq; omnes Hæretici à ſemine mulieris illius amicta Sole, id eſt, S. Catholica Eccleſia. Cujus Sponſus eſt lux mundi Chriſtus Dominus Deus Salvator noſter.

Vide dies can. Maſoli tom. 1. coll. 23.

Ioel cap. 1.

Qua

Qua verò ratione & casu miserabili, negligentiâque hi populi Canarienses à fide Christiana desciverint, & iterum postliminio ad ovile Christi Domini reducti sint, quibusque Patronis & Antesignanis hoc factum sit extra propositum meum est differere; navigantis enim similis ego sum, qui diu moram malaciamque traducere nequeo, nisi quantum ratio rerum contextusque mei operis ac Scopus requirit. Chronicæ quæ de his amplius scripsere consulantur, præcipuè Lusitanicæ, qui has secundo adinvenisse & detexisse Insulas dicuntur. Inter quos non nihil etiam Petrus Martyr ab Angeleria Regis Catholici Legatus ac Consiliarius, sicut & de cæteris novi Orbis Insulis ac Regionibus multa laudabiliter scripsit.

Sed vt eo rursum vndè digressi sumus redeamus, navibus atque corporibus à Columbo procuratis, anchoras attrahi jussit; expansisque velis Portu Canariarum Insularum in altum Oceanum excedunt, tres & triginta dies continuos sævi maris turbinibus jactati, ignotas terras, & dubia littora ancipiti sorte inquirebant. Hispani Comites socijque nautæ, murmurare primùm secreto cæperunt, mox apertis convicijs Columbum proscindere, de necando demum & in mare deijciendo Columbo Navarcho consulebatur. Deceptos enim se fuisse nimirum ab homine Ligure dicebant, in præceps quoque trahi magis ac magis, à sævi maris fluctibus, quo nusquam redire licebit, nec dulcem Patriam, dulces natos charamque vxorem amplecti, amicos, cognatosque videre amplius dabitur, vitam denique ipsam jam perdidisse, ac marinis beluis in prædam datos: alia quoque nunc sidera, aliud quam patrium & ignotum se intueri cœlum, plurimum se jam ab orbe descendisse, seque cum Theseo invitos nescio ad quos inferos trahi simul omnes fremebant causabanturque; exclamantes insuper, se jam reduci in Hispaniam à Columbo oportere, aut vna cum ipsis quacunque sorte visum fuerit emoriendum esse minabantur.

Ipse verò Admiraldus Columbus, blandis modo verbis, ampla spe modo, diem ex die protrahens, iratos exanimatosque metu mulcebat Hispanos: proditionis quoque reos fore & accusandos & à Regibus severè puniendos se scirent, si quid adversus eum molirentur, & parere recusarent, meminerintque in illis modo spem Patriæ totius Hispanicæ, salutemque ac emolumentum firmumque præsidium gloriamque sitam esse; si suis laboribus modo & invicta patientia ignotas maris locupletissimas Regiones subjugaverint. Hic exclamare lubet, & intimis præcordijs viscera saliunt. O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia tua, & investigabiles viæ tuæ. Quondam enim cum temporum apex advenisset, de cœlo in navem Sanctæ Crucis humanam naturam assumens in hoc mare mundi navigaturus descendisti, alienos ab illa cœlesti Patria populos petisti, peccatores nimirum fœdissimos, quos vt ad veri Dei & justitiæ illius cognitionem reduceres, pro illis in cruce nudus mori voluisti. Quod cum humanæ naturæ hostis, ruffus ille Draco, fratrum accusa-

tor

tor & latro ab initio suspicaretur, navigationem tuam ô bone Christe per mulierculam iniqui Iudicis Pilati impedire moliebatur. Atque vicisti ô Princeps & Imperator noster Emanuel invictissime, Leo de tribu Juda glorioſissime, atque optatissimum portum divinæ tuæ voluntatis obtinuisti, pro qua tibi victoria gratiaque à nobis omnibus gloria & gratiarum actio sit in sæcula sæculorum Amen. Ita planè lector benevole in hac Columbi navigatione, quam cum mirabili dispensatione Dei inceptam fuisse exitus comprobavit, factum est. Cum enim deterrimus ille serpens Cacodæmon, sociorum hujus Navarchi Columbi animos venenosa amaritudine odij incitaret, atque vt hunc è navi vt alterum à Pharaone Moysen in aquas ad submergendum deijcerent, aut occiderent, crudeliter insibilavit; quid enim aliud intendebat, nisi vt fidei fructum, & vitam æternam his miseris populis Americanis præciperet? Advertisti enim Cacodæmon, ô bestia crudelis, & crabro ignavissime; apum examina in novum Orbem adventura brevi: castissimos nimirū & mellifluæ misericordiæ sacræ monasticæ disciplinæ Religioſissimos cultores, de apiario per Regem suum S S. Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Beatissimo Pontifice dimissos; qui vos ô dæmones execrandi de favis injustè depastis, id est, animis miserorum Indorum, quos per fraudem & crudelem tyrannidem occupastis Apostolica autoritate suffulti depellerent, ac suis aculeis ac gladio Verbi DEI ancipiti interimerent confoderentque.

Ad nauseam ergo & vsque desperationem, quam plurimis diebus noctibusque cum navigatum esset, divina tandem illis favente gratia, de longè sed valde modicè instar nebulosi globi obscurum quid observabant: ab alto inclamat speculator, remis manus admoveant, timonem vt observet gubernator adhortatur, se ni fallatur terrā conspicere. Admiraldus subitò lintres sive scaphas aliquot in mare deponendas præcipit, necessarijsque ad explorandum instrumentis littora providet, fugit ab omnibus luctus, atque in laboribus concepta tristitia, totis viribus remos agitant, ad Insulam demum ipsis incognitam, cui nomen Guaijahanæ intermediam Floridæ & Cubæ appulerunt. At Hispani vltrò remis insudantes, innumerabiles Insulas reperiunt, quarum duas eximiæ magnitudinis invenerunt, quas Columbus vocavit Hispaniolam sive Spagnollam, & alteram Iohannam Co Zumelam, quæ aliquibus Burichena dicitur & Spagnollæ collateralis existit, de quo sic vlterius Franciscus Lopez profatur: *La tierra que primero vieron fue Guanahani vna de las Yslas Lucaijos, que caentre la Florida ij Cuba. En la qual se tomo luego tierra, ij la possession de las Indias ij nueovo mundo que Christoval Colon descubria por los Reies de Castilla.* Id est: Prima terra quæ ipsis obvenit, fuit vna inter Lucaias Insulas Guanahana, intermedia & opposita Floridæ & Cubæ, in qua Insula possessionem novi mundi, quem pro Regibus Castellæ detexit ipse Christophorus Columbus accepit. Modus autem terram novā aut Insulam appropriandi Regi Hispano sic observatur. Primo Crucis signum versus Orientem si adest Sacerdos jubet erigere; alias ipsi Capitanei

tanei cum ſuis militibus id præſtant, illudq; venerando adorãt more ſolito Chriſtiano. Poſtea Admiraldus Bottigiam, id eſt, ſciphũ aquæ de ipſa terra repletum accipit & exhaurit: ſciphum iterum replet & in terram effundit. Deinde evaginato gladio gramen de terra abſcindit, & aliquot ramos ex multis arboribus, ſic dicens: Hanc terram, Regnum, vel Provinciam in proprium & poſſeſſionem accipio Domino meo Philippo Regi Hiſpaniæ: Poſtea omnes præſentes, ac ipſos milites conteſtatur, hoc ita verè eſſe tranſactum. Et vt contra quoſvis rebelles aut hoſtes, in hac terra ſe defendere velint adhortatur; ac jurejurando ad nudum Admiraldi gladium obedientiam ſpondent.

Firmatis ergò anchoris Galeonibusque, minoribus Caravelis littora harum Inſularum Hiſpani explorabant, ac cantantem inter condẽſa nemora menſe Novembri philomelam audiverunt: inſuper dulcium aquarum ingentia flumina, ac portus navium optimos repererunt. Cum verò nullibi homines aut indigenas invenirent; timerentque ne à ſocijs longius abſcederent, ſcopuliſque naves alliderent, ad Hiſpaniolam Inſulam revertuntur, tutiorique loco triremes adaptant, poſt triginta & plures dies terram nullibi viſam ſoſpites calcant. Indigenas Indos primo tunc gens Hiſpanica in Inſula Spagnolla vidit. Inſulani verò advenientem prius inviſam inauditamque gentem Europæos, nimirum veſtitos loricatosque conſpicati, horruerunt; factoque agmine in condenſa nemorum & ſpeluncas aufugerunt. Hiſpani milites juſſu Admiraldi mioparonibus inſecuti, mulierem tantum capiunt, hanc ad naves perducentes, cibis Europicis, pane ac vino Hiſpanico ſaturatam, & donatam muneribus veſtibuſque noſtratium mulierum eleganter indutam, ad ſuos dimiſerunt. Gens etenim iſta, vtriuſque ſexus natura contenta, nuda penitus præter pudibunda, quæ pennis avium, aut goſſipio contegunt obiter, vitam in viridibus nemoribus traducebant, perpetuò enim floréti verè, & frugifero autumno gaudent, neque frigore aut calore vexantur immodico, adeò propitium cœli temperamentum habent. Vt primum ad ſuas capta mulier acceſſit, ſciebat enim quo fugientes exteros præcipuè Canibales diverterent, attoniti obſtupuere, veſtitamque mulierem proſpectro potius quam concive habebant; illa verò noſtrorum benevolentiam ipſis diſſertè ediſſerens, ac dona muneraque oſtendens, gregatim ad littus concurrunt gentem è cœlo miſſam Hiſpanos arbitrabantur: Aurum cujus erat apud illos inſignis copia ad naves natãdo portabant, commutationes mercimoniaque Glauci & Diomedis ridicula inſtituerunt, pro paropſide fictili, aut vitreis Crateris, aurum copiosè commutabant, ſi ligulam, ſi clavum ferreum, ligneam fiſtulam, aut nolam, ſive ſpeculi fragmentum, aut aliud hujuſmodi quippiam vile porrigebant, illi tantum auri, quantum tunc quiſque penes ſe habebat exhibebant. Cum verò hæc converſatio ad familiare conſortium deveniſſet, & gentis iſtius mores conſuetudinesque quantum ſignis nutibuſq; poterant, Hiſpani percontarentur, Regem habere gentem iſtam nomine Guaccanarillum cognoverunt, Columbus itaque ipſi Regi dona trans-

mittenta eligit, ſignis nutibusque Inſulanis oſtendit, ſe plurimum Regis aſpectum colloquiumque deſiderare ; nec multi dies abeunt ipſe Rex ad littus maris advenit. Cui noſtri vnum & alterum faſelum ornatum obviam mittunt, vt triremes noſtras accedere poſſet. Admiraldus Columbus Regem, Proceresque illius honorifice ſuſcipit: illi quoque ſuis vt noverant modis mirisque geſticulationibus & inclinationibus noſtris gratiam honoris referunt. Columbus mero ac farre Hiſpanico, & quam plurimis alijs obſonijs muneribusque Europicis, Regem Proceresque illius excipiens cumulabat, multa de pace, fœderibusque in ſimul ineundis tractabat, & quia poſt Hyemem rurſus in Hiſpaniam redire ſtatuit, Regem Guaccanarillum, vt exiguæ munitiunculæ de lignis pro ſocijs triginta ædificare in ſua Inſula concederet rogavit ſe brevi iterum ſibi præſto, & multo excellentioribus donis rebusque novis, ac vtilibus ipſi Regi gratiſſimis mercimonijs adeſſe velle ſpopondit. Rex barbarus miſeratione humana commotus vt videbatur erga noſtros, & quod alienis in terris deſererentur lachrymas effudiſſe viſus eſt. Sed vt poſtea patuit, gens iſta lachrymas in ſua poteſtate vti Crocodilus habent promiſitque Columbo ſe fidem illibatam, & ſocietatem ſervare velle, omnemque opem peregrinis Hiſpanis pollicitus eſt. Poſteaque ergo munitionem pro ſocijs Hiſpanis Columbus in Spagnolla conſtruxit; rebus diſpoſitis, decem ſecum barbaros Inſulanos abducens, rurſus in Hiſpaniam felicē Regibus nuncium de novi Orbis Inſulis inventis afferens transfretavit. Rex autem Ferdinandus & Iſabella, quorum omnis labor & cogitatio in vna Chriſtianæ fidei propagatione verſabatur, interim Columbi fortunam adventumque ardenter præſtolabantur, ac ne fortè hic vir magnanimus atque præclarus, æſtu maris aut alio infortunio mortem obiviſſet formitabant. Quo facto, omnis conatus illorum & expectatio tot populorum ad fidem Chriſti perducendorum irritus evaneſceret, impēſè anxij erant & ſolliciti.

Sed diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum vt ait Apoſtolus, quis enim ſapientiam Dei elucidavit, & inglorius derelictus eſt? Aut quis fiduciam in Domino ex toto corde permanens in mandatis ejus habuit & derelictus eſt? Aut quis invocavit eum & deſpexit illum? Deſiderium itaque Catholicorum, Religioſiſſimorumque Regum attulit illis Dominus Deus illorum. Nam anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, Columbus ab inventis noviter novi Orbis Inſulis reverſus fretum Gaditarum feliciter navibus ingreſſus eſt.

Cum verò Barchinonæ in Catalognia tunc tempore Reges Caſtiliæ morarētur, continuò illuc volante triremi ſe Columbus à Gadibus proripuit, fauſtum felicemque de novi Orbis Inſulis Regibus nuncium afferens. Rex Ferdinandus & Regina Eliſabetha, ob hunc felicem Nuncium novum, ingenti gaudio recreati Columbum honorificè ſuſcipientes, atque pro talibus auſis benè ſperare jubent magnificentiſſimeque tractant: ſedere illum penes ſe coram publicè, quod eſt ſupremum apud Hiſpanos Reges honoris ſignum, jubent. Præfectum ac Ducem Admiral-

raldumque marinum deinceps meritissimo clarissimoque titulo vocari Columbum omnibus in Regia aula Imperijque sui districto imperant. Nusquam enim antehac tali titulo quisquam nautarum Capitaneus decoratus fuerat. Licet quamplurimi modo indignissimè hujus honoris, & dignitatis sibi titulum arrogent. Longo itaque narrationis filo Regibus Catholicis ipse Columbus suam navigationem referens, ac quantũ omnium rerum copia, thesaurique præciosi ab his Insulis haberi possint, cum insigni vberrimaque fidei Christianæ propagatione, rerum ipsa experientia edoctus, pluribus explicat, nonnullaque auri, gemmarum, frugumque & aromatum munera novi Orbis Regibus profert.

Affirmat hoc idem Franciscus Lopez sic dicens:

Dieron le titulo ij officio de Almirante de las Indias, ij à Bartolome Colon de Adelantado. Puso Christoval Colon al rededor del escudo de armas que le concedieron, esta letra.

Por Castilia ij por Leon
Nuevo Mundo hallo Colon.

Id est: Dederunt scilicet Reges titulum & officium Admiralis, id est, supremi Capitanatus super totam Indiam. Columbi verò fratri Bartholomæo Adelantatum, id est, primam post Admiralem Præfecturam Indiæ. Et posuit in suo clypeo armorum sive nobilitatis insignijs Christophorus hoc Epicinion: Pro Castellæ & Legionis Regibus acquisivit Novum mundum Columbus.

His causis consideratis atque perspectis Rex Ferdinandus Classem novam præparare jubet: tres scilicet naves onerarias, sive Galeones, & septendecim triremes, cum aliquot quas Hispani naves Caravelas dicũt. Hujus classis comparandæ cura Ioanni Fonsecæ Nobili Decano Hispalensi attribuitur. Insuper Columbus vltra ducentos mille armatos viros conduci jubet, inter quos variarum mechanicarum artium peritos opifices, fabrosque adjungi procurat. Item equos, mulos, asinos, boves, vaccas, & reliquas species animalium quibus orbem illum novum carere visum est; atque legumina triticum, hordeum, avenam, pisa variasq; plantas, vites, lupulum, quibus Insulani carebant, ac reliqua hortensia magno studio pro fætura ac insitione propagationeque diligentissimè parari jubet. His non contentus, amplius varia vtiliaque fabrilia instrumenta artifices adaptare & procurare seriò mandat. His enim ad nonas Colonias, civitates, munitionesque exstruendas sibi opus esse necessariò fortissimus prudentissimusque Admiraldus Columbus providebat. Et quamvis multi ex Hispanis Nobilibus, ac Regum Clientibus, Præfecti maris Columbi moti autoritate, & virtute, partim rerum novarum cupidi, hanc navigationem adire statuerent. Nihilominus tamen aliqui inter illos inventi sunt, qui sicut invidia virtuti se comites præberent. Cum enim Proceres Hispani præclarum & inauditæ navigationis facinus Columbi verbis in aula extenuarent atque lacescerent, eos nimirum talia quoque ac majora præstare potuisse ac posse, hos sibi Admiraldus Columbus, adversarios benevolos reddere tentavit, ac illorum

jactantiam, invidiamque lepidissimo invento repressit. Cænam enim lautissimam instruxit, hosque malevolos detractores invitat, divulgans muneribus quæ nimirum ex novo Orbe attulisset, adventantes donare velle convivas. Transacta Cœna orbem aureum profert, ac gallinaceũ ovum Hispanis hospitibus ea conditione apponit, vt quisquis illorum in apice conni ovum stare supra planum Orbis fecerit; huic Orbis aureus magni ponderis in præmium cederet. Hispani ovum istuc atque illuc attrectantes illud erigere avidi attentabant; nullus tamen artificium adinvenire vel efficere potuit. Admiraldus Columbus subridens facilis res est ait, vrgetque vlterius artificium inquirere. Hi verò impossibile esse dicebant, ovum vt in apice plani perfecti consistat, seque vt Orbem aureum non amittat, hoc vanum excogitasse, & amicis ludicram hanc artem proposuisse. Tandem Admiraldus Columbus, omnes in artificium intentos esse jubet Hispanos. Ovum accipit ac in Orbem aureum contusum super apicem sistit, tunc in risum omnes convivæ diffusi, se dudum antea & hoc sciviisse ajebant. Verum est ait Admiraldus Columbus, inventis nimirum facilius est addere rebus. Cachino itaque proprio vti sæpè fit invidi hi detractores se confuderunt.

Reges verò Castellæ ingenti gaudio ob præsentiam COLUMBI ac ejus præclara facinora in navigatione peracta exultabant, maximè verò quòd decem viros ex novo Orbe Indos in Hispaniam secum attulisset, ideò futurum sperabant Christianam fidem ac Religionem ijs in Insulis locupletissimè propagatum iri. Hos ergò Americanos Indos, optimè benevoleque tractari Rex jussit, eisque Doctorem attribuit, qui tam illos fidem Catholicam, quam linguam Hispanicam edoceret. Pro interpretibus enim ipse Columbus hos adhiberi in futurum statuerat.

Romani autem Sacerdotij apex tunc tẽporis penes Alexandrum sextum fuerat: Enumeratis itaque nobilioribus Hispanis Rex Ferdinandus magnificam legationem Romam versus Admiraldo Columbo Principe cui decem viros Indos novi Orbis solenni ritu Baptizandos ac Romano Pontifici præsentandos, tanquam alterius Orbis novas primitias commisit; atque vt omnia Sanctissimo Præsuli, de tanta rerum novitate ac Christianæ Reipublicæ pondere, novaque sobole Christi ovili & Sacrosanctæ Ecclesiæ aggreganda, quam subtilissimè intimaret, regiasque ad Pontificem cum muneribus literas tradidit. Quarum literarum summam sic ex Joanne Metello J. C. accipe:

Regem nimirum Ferdinandum jam diu statuisse Insulas aliquot, & continentis Regiones procul dissitas & incognitas, nec ante à quoquam repertas quærere: quo præsertim earum terrarum Incolas ad Christi cultum, vti Rex à se recens pulsis Granatæ Regno Mauris fecerat Catholica fides dilataretur. Se hanc ob causam, cum classe peritis Nautis militibusq; veteranis instructa, Columbum non sine maximis difficultatibus periculis & expensis per Maria misisse, quæ nunquã quisquam navigasset. Illum in Oceano aliquot nunquam à nostris visas Insulas & continentis Provincias inveniisse, quas pacis amantes quædam gentes incolerent: eas corpore toto nudas incedere, credere vnum esse Deum, eumq; cœlo contineri,

neri, quæ res spem faceret eos homines à recipiendis nostris moribus & institutis non alienos fore. Quin etiam si instrueretur, facile apud eos Christi Nomen Catholicamq; Religionem introductum iri. A Columbo firmam turrim in vna ex ijs à se repertis Insulis extructam jam esse, suorumq; præsidio firmatam. Itaq; eas Insulas & terras argento, auro, & aromatibus pollere, jmò multis varij generis rebus alijs præcijs excellere. Velle igitur eas sibi per suos subigi, Imperioq; suo in eas Christianam fidem invecturus adijci.

Alijs autem non Romæ sed Barcelone, id est, Barchinonæ hos Americanos Indos baptizatos esse describunt hoc modo: *Los seijs Indios se bautizaron que los otros no llegaron al a corte. Yel Rei la Reina, ij el Principe Don Iuan su hijo, fueron los Padrinos, por autorizan con sus Personas el santo bautismo de Christo en aquellos primeros Christianos de las Indias, ij nuevo Mundo.* Id est: Sex Indos baptizavit, alios autem ad aulam misit Rex. Rex verò & Regina & Dominus Princeps Ioannes fuerunt Patrini, & sua personali autoritate honorare voluerunt sanctum Christi baptisma propter primitias Indorum Christianorum Novi Orbis. *Franc. Lopez, histor. gen. Ind. cap. 17.*

Pontifex laudatis Regis consilijs, ipsum ad ea exequenda per Baptismi sacra, Christiquè viscera cohortatus, quo expeditionem ardentiori animo susciperet, susceptamque non intermitteret. Datoque insuper munificentissimo diplomate ex Apostolica illa summa autoritate; Cardinalibus vniversis vltro re cognita, vno ore approbantibus in perpetuum Regibus novi Orbis Insulas plenè concessit, donavit & attribuit. Summa verò Pontificij decreti, & Apostolicarum literarum ad Reges Castellanos hic ex Francisco Lopez suaque historia de las Indias generali capite nono tibi descriptum apposuimus:

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei: in Christo filio Ferdinando Regi, & Charissimæ in Christo filiæ Elisabethæ Reginæ Castellæ Legionis Aragonum, Siciliæ, & Granatæ Illustribus salutem & Apostolicam benedictionem.

Inter cætera divinæ Majestatis beneplacita opera & cordis nostri desiderabilia, illud profectò potissimum existit, vt fides Catholica & Christiana Religiò (nostris præsertim temporibus) exaltetur ac vbilibet amplificetur & dilatetur, animarumq; salus procuretur, ac barbaræ nationes deprimantur, & ad fidem ipsam reducantur. Vnde cum ad hanc Sanctam Petri sedem divina favente clementia (meritis licet imparibus) evocati fuerimus cognoscentes vos (tanquam veros Catholicos Reges & Principes, quales semper fuisse novimus: & à vobis præclare gesta toti jam penè orbi notissima demonstrant) ne dum id exoptare, sed omni conatu, studio, & diligentia, nullis laboribus, nullis impensis, nullisq; parcendo periculis, etiam proprium sanguinem effudendo efficere, ac omnem animum vestrum, omnesq; conatus ad hoc jam dudum dedicasse, quemadmodum recuperatio Regni Granatæ à tyrannide Sarracenorum, hodiernis temporibus per vos, cum tanta divini nominis gloria facta testantur: dignè ducimus non immerito, & debemus, vobis illa etiam sponte & favorabiliter concedere, per quæ huiusmodi sanctam & laudabilem, ac immortali

Deo acceptum propositum, faventiori animo ad ipsius Dei honorẽ & jmperij Christiani propagationem prosequi valeatis. Sanè accepimus quod vos, qui dudum animum proposueratis aliquas Insulas & terras firmas, remotas & ignotas ac per alios hactenus non repertas quærere, & invenire, vt illorum incolas & habitatores adcolendũ Redemptorem nostrum, fidem Catholicam profitendam reduceretis, hactenus in repugnatione & recuperatione ipsius Regni Granatæ plurimũ occupati, huiusmodi sanctum & laudabile propositum vestrum ad optatum finem perducere nequivistis, sed tandem sicut Domino placuit, Regno prædicto recuperato, volentes desiderium adimplere vestrum, dilectum filium Christophorum Colon (virum utiq; dignum & plurimum commendandum & tanto negocio aptum) cum navigijs & hominibus ad similia instructis, non sine maximis laboribus & periculis ac expensis destinatis vt terras firmas & Insulas remotas, & incognitas huiusmodi per mare, vbi hactenus navigatum non fuerit, diligenter inquireret, qui tandem divino auxilio (facta extrema diligentia) in mari Oceano navigantes certas Insulas remotissimas, & etiam terras firmas, quæ per alios hactenus repertæ non fuerant invenerunt: Inquibus quam plurimæ gentes pacificè viventes, & (vt asseritur) nudi incedentes, nec carnibus vescentes inhabitant, & (vt præfati nuncij vestri possunt opinari) gentes ipsæ in Insulis & terris prædictis habitantes credunt vnum Deum, Creatorem in Cœlis esse, ac ad fidem Catholicam amplexandam & bonis moribus imbuendam, satis apti videntur spesq; habetur, quod si erudirentur, Nomen Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, in terris & Insulis prædictis facilè induceretur. Ac præfatus Christophorus in vna ex principalibus Insulis prædictis, jam vnam turrim satis munitam (in qua certos Christianos qui secum iuerant in custodiam, & vt alias Insulas ac terras firmas remotas & incognitas inquireret posuit) construi & ædificari fecit. In quibus quidem Insulis & terris jam repertis, aurum, aromata, et aliæ quamplurimæ res præciosæ diversi generis, & diversæ qualitatis reperiuntur. Vnde omnibus diligenter, & præsertim fidei Catholicæ exaltatione & dilatatione (prout decet Catholicos Reges et Principes) consideratis more progenitorũ vestrorum claræ memoriæ Regum, terras firmas & Insulas prædictas, illarumq; incolæ & habitatores, vobis (divina faventc clementia) subjcere & ad fidem Catholicam reducere proposuistis. Non igitur huiusmodi vestrum sanctum & laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, ac cupientes ut illud ad debitum finem perducatur & ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis inducatur, hortamur vos quamplurimum in Domino, & per sacri lavacri susceptionem, qua mandatis Apostolicis obligati estis, & per viscera misericordiæ Domini nostri IESu Christi attentè requirimus, vt eam expeditionem omnino prosequi & assumere prona mente, orthodoxæ fidei zelo intendatis, populosq; in huiusmodi Insulis & terris degentes, ad Christianam Religionem suscipiendam inducere velitis, & debeatis, nec per pericula, nec labores vllo vnquam tempore vos deterreant firma spe fiduciaq; conceptis, quod Deus Omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur: & vt tantam provinciam Apostolicæ gratiæ largitate donati liberius & audatius assumatis, motu proprio non ad vestrum vel alterius pro nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia ac Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes Insulas, & terras firmas invẽtas & inveniendas, detectas

detectas & detegendas versus occidentem & meridiem fabricando, & construendo vnam lineam à Polo Artico, scilicet septentrione ad polum Antarcticum, scilicet meridiem sine terræ firmæ & Insulæ inventæ, & inveniendæ sint versus Indiam, aut versus aliam quamcunq; partem, quæ linea distat à qualibet Insularum quæ vulgariter nuncupantur Delos Azores & Cabouerde. Centum leucis versus occidentem & meridiem itaq; omnes Insulæ & terræ firmæ repertæ & reperiendæ, detectæ & detegendæ à præfata linea versus occidentem & meridiem quæ per alium Regem aut principem Christianum non fuerint actualiter possessæ, vsq; ad diem Nativitatis Domini nostri JESu Christi proximè præteritum à quo desinit annus præsens 1493. quando fuerunt per Nuncios & Capitaneos vestros inventæ aliquæ prædictarum Insularum, autoritate Omnipotentis Dei nobis in Beato Petro concessa, ac Vicariatus JESV Christi, qua fungimur in terris cum omnibus illarum dominijs, civitatibus, castris, locis & villis, juribusq; & jurisdictionibus ac pertinentijs universis, vobis hæredibusq; & successoribus vestris Castellæ & Legionis Regibus, in perpetuum tenore præsentium donamus, concedim⁹ & assignamus: Vosq; & hæredes & successores præfatos illarum dominos, cum plena libera & omnimoda potestate autoritate & jurisdictione facimus, constituimus & deputamus, decernentes nihilominus per huiusmodi donationem, concessionem, & assignationem nostram, nullis Christiano Principi, qui actualiter præfatas Insulas & terras firmas possederit, vsq; ad prædictum diem Nativitatis Domini nostri Jesu Christi jus quæsitum, sublatum intelligi póse, aut aufferri debere; Et insuper mandamus vobis, in virtute sanctæ obedientiæ, vt (sicut & pollicemini & non dubitamus) pro nostra maxima deuotione & Regia magnanimitate vos esse facturos ad terras firmas, & Insulas prædictas viros probos & Deum timẽtes doctos peritos & expertos, ad instruẽdum incolas, & habitatores præfatos in fide Catholica, & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes. A quibuscunq; personis cuiuscunq; dignitatis, etiam Imperialis & Regalis status, gratus, ordinis, vel conditionis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna (quam eo ipso si contra fecerint, incurrant) districtius inhibemus; ne ad Insulas & terras firmas, inventas & inveniendas detectas & detegendas, versus occidentem & meridiem fabricando & construendo lineam à polo Artico, ad polum Antarcticum sive terræ firmæ & Insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam, aut versus aliam quamcunq; partem, quæ tamen linea distet, à qualibet Insularum quæ vulgariter nuncupantur. De los Azores & Caboverde centum leucis versus occidentem & meridiem (vt præfertur) pro mercibus habendis, vel quacunq; alia de causa accedere, præsumat, absq; vestra, ac hæredum & successorum vestrorum prædictorum licentia speciali! non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis: in illo à quo imperia & dominationes ac bona cuncta procedunt confidentes! quod dirigente Domino actus vestros, si huiusmodi sanctum & laudabile propositum prosequamini brevi tempore, cũ felicitate, & gloria totius populi Christiani, vestri labores & conatus exitum felicissimum consequentur. Verum quia difficilè foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus expediens fuerit deferri! volumus, ac motu & scientia similibus decernimus, quod illarum transsumptis manu publici Notarij indè rogati subscriptis, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate

tate constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis ea prorsus fides in judicio, & extra ac alias vbilibet adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cõmendationis, hortationis, requisitionis, donationis, concessionis, assignationis, constitutionis, deputationis, decreti, mandati, inhibitionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationẽ Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, quarto nonas Maij Pontificatus nostri Anno Primo.

Hic obiter de multis calumniis Hæreticorum in Romanos Pontifices congestis, nempè quod Dominum Orbis se jactet & Regna & diademata distribuat; Observandum est primo; quod hæc genimina hæretica viperarum Pontificis Christiani autoritatem & potestatem nullo modo se extendi ad res temporales contendant, quod tamen falsum est. Nam licet non absolutus Dominus in res temporales sit Pontifex, potest tamen de illis disponere, vsque ad certam quandam mensuram, videlicet quatenus finis spiritualis exigit. Sicuti etiam Principes sæculares possunt disponere de ijsdem rebus temporalibus, quatenus bonum Reipublicæ postulat; & sic æquè res temporales subjectas esse potestati summi Pontificis ad finem spiritualem; sicuti subsunt potestati Principis sæcularis ad finem temporalem. Et quemadmodum potestas summi Pontificis limitata est, ne de rebus temporalibus, disponere possit absolute vltrà finis temporalis ac Reipublicæ congruentiam. Sic etiam benè dicere possumus summum Pontificem esse Dominum Orbis in temporalibus, hoc est, jurisdictionem habere ad finem spiritualem in res temporales. Sicuti hic vides ex Bulla concessa Regibus Hispaniæ Catholicis eaque conditione novum Orbem ipsis appropriavit, vt gentibus Evangelium in illis novi orbis Regionibus prædicari faciant, & ad hoc munus viros ac personas aptas procurent. Quod si verò tantum ob cupiditatem & avaritiã Indos in servitutem subigere quispiam vellet, cum notabili damno Ghristianæ Reipublicæ propagandæ; certè alteri Principi Catholicé Christiano, has Regiones optimo jure S. Pontifex attribuere posset, qui in ijs Regionibus Christi Evangelium & propagare & docere, cum diligentia & zelo fidei Catholicæ procuraret. Verum est quidem hanc autoritatẽ summi Pontificis apud Iudæos aut efferas gentes neque hæreticos valere. Sed ego loquor hic de fidelibus Christianis, qui obedientiam in Baptismo Christo & Ecclesiæ Catholicæ spoponderunt.

Interea verò dum Legatio Hispanica atque Diploma donationis Pontificiæ consultaretur, multa secum pensitans Beatissimus Pontifex, qua nam ratione hæ gentes barbaræ ad verum Dei cultum reduci possent. Et quoniam omnis lex sacra de Syon, & Verbum Domini de Ierusalem procedere debet, hoc est, modo in tempore gratiæ atq; Messiæ de SS. Catholica Ecclesia, de qua omnes gentes plenitudinem gratiæ &

Evan-

Evangelij veritatem acceperunt, plurimis cogitationibus volutabat, quemnam illis Angelum pacis dimitteret. Qui mellifluam in verbo Evangelij misericordiam, & Salvatoris Domini nostri Iesu Christi præciosam redemptionem, cum Apostolica benedictione, gratiam, & salutem annunciaret. Tandem ex numero & Angelico choro, quales diversorum Ordinum S. R. E. cœlestium Ordinum Angelicorum vitam æmulantes in terris hierarchias habet Angelus inventus, & ad illas supradictas barbaras gentes dimissus est. Sacerdos enim secundum Malachiam Prophetam Angelus Dei altissimi dicitur. Fuit autem hic Apostolicus Legatus ex instituto ac Ordine S. P. Benedicti assumptus: Ordinis enim istius Cœnobitæ jam sæpius & quidem antiquissimis præteritis temporibus, glorioſos de gentium conversione ad Christi Domini fidem SS. Romanæ Ecclesiæ accumulaverunt triumphos. Hic verò quis ac qualis vir fuerit, hanc tanti ponderis legationem qui susciperet, ac tot laboribus, erumnis, periculisque iter aggrederetur, tamque immanes fœdissimasque omni crudelitate ac impietate deploratas gentes ad Dei & SS. Ecclesiæ disciplinam, & scientiam adduceret, & per vias rectas edoceret dirigeretq; ex fide dignissimis & doctissimis, tum autoritate conspicuis scriptoribus hic depromamus. Quorum mihi primus occurrit omnium ferè qui de signis veræ Dei Ecclesiæ cognoscondæ scripserunt palmam assecutus est, nimirum Admodum Reverendus, ac longè plurimùm suscipiendus, colendusque Doctissimus Dominus Thomas Botius Eugubinus S. Congregationis Oratorij in vrbe Roma Presbyter, qui primo signorum Ecclesiæ Dei tomo sic loquitur;

Primus Evangelij Præco fuit Indiæ Occidentalis Buil Catalanus ex Ordine S. Benedicti, quem Papa Alexander sextus Sacerdotibus duodecim præfecit. Suasq; in ijs Regionibus illi partes mandavit (atq; suum Vicarium vt Genebrardus infra citandus asserit) apud illas Regiones nominavit. Fuit enim hic Prælatus prius Abbas Montis Serrati in Catalonia, præ reliquis viris tunc in sacris tum humanioribus doctissimus, ac illo tempore in Hispania multum celebris. Erat enim in eo eximia quædam animi magnitudo; in rebus prosperis moderatio; in adversis constantia: liberalitatem coluit, ac pecuniæ studium penitus contempsit; in congressu comis erat & affabilis, honestati & gravitati, magis quam lætitiæ aut levitati deditus, temperantiæque & castitatis vbique præbebat exempla, quas virtutes in eo commendatiores faciebat insignè oris decus & eloquentia: forma staturaque corporis tantæ dignitati conveniens illi quoque aderat. Altero verò loco eodem primo tomo subtiliter item Thomas Bozius contra Hæresiarchas disserens, qui tanquam venenosæ araneæ floribus insidentes venenum tantum sapiunt & fugunt, dulce mel malitiosè prætereuntes.

Ita hæretici vitia tantum sapiunt & carpunt divulgántque, Catholicorum virtutes autem benefactaque nostratium malitiosè supprimũt, extenuantque: quasi verò vt magnus atque Catholicus Tertullianus ajt, ex personis probaremus fidem, & non ex fide personas. Horum

itaque blateronum atque caninum latratum comprimens vlterius, Ita Thomas Bozius disputat: *Alexander sextus quem volunt, inter alios Papas pessimum, misit omnium primus ad Indos Occidentales, Buill Catelanum cum duodecim socijs qui Occidentales Indos ad humanitatem morum cultumq; Christi adducerent, quod etiam impigrè & solerti diligentia integréq; ex autoritate S. D. Alexandri Papæ sexti factum & peractum est.* His non dissimilia Fumus in sua historia Gallica habet vti videre est, Indicarum Historiarum suarum lib. 1. c. 2. Sed vt magis sagaciter veritatem indagemus, quanam ratione hic novi Orbis Occidentalium Indiarum Apostolus, ab vrbe Roma dimissus sit, ex fidelissimo autore & oculato teste, qui præsens omnibus gestis interfuit, ac proprijs inspexit oculis, quam complures Indicarum rerum scriptores oculatum & locupletissimum testem sequuntur processum afferamus. Is autem Ferdinandus Consalvus Ovetensis dicitur, qui in sua Historia generali novi Orbis ita præfatur:

Horo secondo che il Papa nella sua Bolla dello Anno 1439. & donatione Apostolica ordinata sopra la cura che deveua haversi, nel corvertire alla santa fede le genti della Indiæ; andorono col Colombo nel secondo viagio persone Religiose, & di santa & approbata vita, & letteratura fraliquali fu à questo effetto detto. Fra Buil *di Catalogna delle Ordine di S. Benedetto. Et à costui il Pontifice diéde pienissima potesta per lo governo della Chiesa in queste parti delle Indie, perchæ vi fosse Capo de gli altri Chierici & Religiosi che allo hotavi passarano persevire al culto divino, & alla conversione di questi Indiani. Et vi portarono costoro paramenti, croci, calici, imagini, & tutó quello che era necessario per le Chiese, che farevi dove vano & nella sopra detta Bolla Apostolica il Papa comando in virtudi S. obedientia al Re, & alla Regina, che havessero douuto à questo effetto mandare in queste Indie persone, da bene & timenti id Dio & dotti, & esperti per instruere & insegnare a questi novi populi la santa fede & i buoni costumi con ogni diligenza debita. Et i Re Catholici desideroſi di compire, a questa giusta & santa volũta del Papa, per tuti i Regni loro cercaronó di queste persone, atti & suffecienti cosi Ecclesiastiche, come secolari i partirono il 25. di Settembre de 1439. Hoc est:*

Hora secunda in data Bulla Anni 1439. ordinavit Papa per donationem Apostolicam, de cura quam habere debeant de convertendis gentibus Indianis ad fidem sanctam. Ad quam ordinavit in secundo itinere cum Columbo certas Religiosas doctas & approbatæ vitæ personas. Ad quem effectum electus fuit cum primis Fr. Buil Catalonus ex ordine S. Benedicti: Cui Pontifex dedit plenissimam potestatem regendi Ecclesiam ijs in Regionibus Indiæ. Quapropter iste caput fuit aliorum Religiosorum ac Clericorum, qui Deo in conversione harum gentium Indicarum inservire & progredi constituebant. Itaque cruces calices imagines, & reliqua paramenta necessaria, quibus opus habebant ad Ecclesias cõstituendas secum portabant, Præterea in supradicta Bulla per sanctam obedientiam Regi & Reginæ mandavit, vt providerent sibi de doctis & timentibus Deum personis, qui hos novos populos Indiæ instruerent in fide Catholica, & bonis moribus cum omni diligentia. Regis autem Catholici hanc sanctam & justam Papæ voluntatem adimplere desiderabant,

rabant, Quaré per totum Regnum tam sæculares, quàm Ecclesiasticas ad hoc munus obeundum, aptas sufficientesque personas inquirebant, Et profecti sunt versus Indiam 25. Sept. 1493. Plures hujus rei confirmādæ gratiæ testes afferre liceret, ni prolixius verba diffluerent, hos tamen qui de hac expeditione scripserunt accuratius, summatim Autores indicasse sufficiat lectori. Quorum vnus est Petrus Cieza Legionensis, in secunda parte Historiarum Indicarum, vulgò (*de Peru*) intitulatarum. Præterea D. Gilbertus Genebrardus in Chronologia sua libro quarto ita scribit: Favens (nimirum Alexander sextus Papa) Auspicijs Ferdinandi & Isabellæ Reginæ Hispaniæ qui duce Columbo anno 1492. Indias occiduas aperuerant, Bulla illos legitimos earum Dominos constituit. Ita tamen vt Præcones Evangelij illuc mittere tenerentur. Primus itaque Præco fuit Buil Catalonus Ordinis S. Benedicti, quem Alexander Bulla Sacerdotibus duodecim præfecit, suumque Vicarium apud illas Regiones nominavit. Hucvsque eruditissimus fidelissimusque Scriptor Genebrardus cum reliquis supracitatis. Posteaquam ergò Legationis munus Dux maris Columbus cum Pontifice transegisset, ac Diploma in qua donatio & appropriatio novi Orbis ipsis Castellæ Regibus Hispaniarum continebatur solenni ritu accepisset, Et ipse Buelius Catalonus cum alijs duodecim, tum pietate in Deum, tum doctrina eruditioneque singulari divinarum litterarum conspicuis S. Benedicti Monachis Apostolici muneris officio decoratis dignitatem accepisset, suæ Sanctitatis pedes obedientialiter osculati, quæ illis pacem solenniter cum benedictione imprecata, felici cursu in Hispaniam primum reversi sunt. Deinde ad novi Orbis Americanos Indos convertendos Oceanum transfretarunt. Rex Ferdinandus & Isabella reducem à munere legationis Romanæ Columbum hilariter receperunt, maximè verò lætati sunt, quod illis sua Sanctitas Legatum Apostolicum cum viris religiosissimis transmiserit; qui Indos Americanos ad fidem Christi traducerent. Romam transconfidentesque pijssimi Reges in Christum Deum ac Dominum nostrum, vlterius hoc boni auspicij omen, illis in vastissimis Americanis ac novi Orbis Insulis, felicem progressum & successum habiturum. Buellium Pontificis Vicarium virosque Religiosos Rex & Regina honorificentissimè & humaniter accipiunt, eosque in suam protectionem suscipiunt. Admiraldus verò Columbus Diploma Pontificis Regibus reddidit, mentemque suæ Sanctitatis super hoc negotio plenius intimavit. Iussit ergò Rex Classem accelerari, ac omnia quæ tanto operi sunt necessaria, summa industria expediri, personasque ad hanc navigationem aptas inquiri. Buellius interea apparatum Ecclesiasticum de sacris libris, vasis, tabernaculis, calicibus, crucibus, vestibus, reliquisque sacris vtensilibus, vna cum Rege munificentissimè adornat ac præparat. Confectis tandem Triremibus & omnibus ad navigantum necessarijs, vti supra ipse Admiraldus Columbus constituerat comparatis; Regibus valedicunt, ac ipse Patriarcha Buellius, cum Admiraldo Columbo naves Calendas Septembris Anno tertio & nonage-

simo supra millesimum & quingentesimum ingrediuntur, expansisq; velis in altum Oceanum Atlanticum, tubarum clangore machinarumq; bellicosarum littora Boetica tonitru circumfrementibus, ipsis Regibus totaque ferè HISPANIA inspicientibus, fretum Gaditanum excedunt.

Ac prima quidem die, quo ab Hispania anchoras exsolverant, classis felici faventeque fortuna Insulas fortunatas appulit. Porrigunt autem sese hæ Insulæ in Atlanticum Oceanum ad Mauritaniæ levam, ducentis, ac mille milliaribus Italicis. Paucis hic commorati diebus, aquationi, lignationi, & venationi operam navantes quinto Non. Septembris Pilotis Admiraldus Columbus navium proras meridiem versus ad Insulas de Capo Verdes dirigere præcipit, & in singula capita navigantibus comeatum dispartit vni per diem vini Hispanici sextarium medium, panis libram mediam; uvarum & ficuum aridarum libram vnam, carnis fumatæ vncias sex. De piscibus maris & conchilijs quos in navigatione apprehenderent æquam sibi reservans distributionem. Recenti itaque ac dulci aqua fontana in vtres hausta, lignisque ad coquendum cõparatis, Insularum Fortunatarum abeunt arenis. Multis jam diebus cœlo sereno læti navigabant, quod solet humanis evenire rebus, tunc accidit; vsque adeò vt ait Comicus nulla est syncera voluptas, sollicitumq; aliquid lætis semper rebus intervenit. Nam vna dierum è scapha longius à triremibus socij aliquot Cimba vt piscarentur digressi sunt: Ecce subitò immanis bellua è mari se sustollens cimbam oppressit, ac duos dentibus atrocissimè vulneravit, nautas, alij quoque vix clamoribus sociorum opem implorantibus salvati sunt. Vulnerati in vna trireme Chyrurgo commissi, sed dolorum ac vulnerum acerbitate, biduo expirarunt. Hoc itaque casu inopinato, omnium hilaritas concidit, timoreque perculsi moderatius se gerebant: hac enim secunda in Armenicam, sive novum Orbem navigatione, Admiraldus Columbus magis ad austrum versus naves dirigebat, quàm in primo fecerat itinere ideo proximè ad æquatorem accessit, cui contiguat Oceanus Æthiopicus immanissimis marinarum belluarum ac monstris abundans.

Mandat igitur vt Pyrotechnus è grandioribus bombardis vnam explodat; vexillumque puppi applicet, vt ad perceptum sonum signumque visum, more solito Capitanei ad consultationem scaphis ad navem Prætoriam conveniant. Quo facto sævere Admiraldus Columbus præcepit, ne vltra quis absque scitu extra Triremes piscandi, vel alterius gratia vagetur; eò quod maris illius situm, ac pericula minus perspecta habeant hortaturque graviter, ni gravioribus casibus implicari velint vitam salutemque suam perdere, his funeribus sociorum cauti vt obtemperare discant.

Persolutis ergò de more Christiano Catholico à Clericis vigiliarum precibus, funera lineis insuta pannis ac cruce lignea in pectore adaptata, feri maris fluctibus sepeliunt, operiuntque. Triste commisserabileque extra Patriam terram spectaculum funeris; vt quos bellua marina non

vivos

vivos deglutivit, emortuos socios charissimos Neptuni monstra depascerent. Quantum verò non solum periculi, sed & molestiæ sit, in mari peregrinantium, ex Petro Maffeo sic accipe; vt discant ij, qui mare fluminaque navigant, & conscientiam maturius expiare, & sanitatem custodire; observentque quanta sit hominum Catholicorum Ecclesiasticorũ in demortuos manes potestas.

Per eosdem dies ait, vel ex intemperie cœli, vel ex insalubrium ciborum succo, atrox morbus navalem turbam invasit. Vulgò inter lusum, aut quotidiana ministeria repentè expirabant. In ijs miles vnus in mare projectus, ingentem terrorem omnibus attulit, noctu quippe intra sentinam pulsus frequentes exaudiri cæpti, quem ad strepitum cum arrepta scapha vigiles descendissent, implexum Carinæ, sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offenderunt. Scilicet pilus cunctis inhorruit; vbi ex pavore colligere sese, res ad Navarchum delata: nec dubium fuit, quin cadaver translatum in litus humo contegerent. Quo facto postridie super ipsum sepulchrum rursus inhumatus apparuit. Ea re attoniti cuncti, cum apud se causam exquirerent; Franciscus denique incertum, ex qua familia monachus, qui concionatoris munere fungebatur; Sagaci conjectura suspicatus est, hominem aliquo interdicti vel anathematis vinculo constrictum è vita excessisse.

Itaque in terram egressus Sanctissimi Viri Benedicti Abbatis exemplo, è Pontificia formula conceptis verbis, animam demortui ritè expiavit, eique veniam à Deo precatus est. Mirum dictu, ab eo mysterio reddita mortuo pax: & vaga ossa tandem in suo tumulo quievere. Porrò Admiraldus Columbus, plus nimium vt supradictum versus antarcticum polum iter instituit, proinde mare incognitum & gramineum penes Pariam incidit, adeoque partem Oceani illius villæ gramineæ oppleverunt, vt remos navium plexibus implicarent, atque vltra nautæ remigare non possent; vixque periculo summo retrocedere, multis laborũ sudoribus valerent. Sed audi de mari isto Gramineo, Simonem Majolum sic differentem: Quid potest illo mari spectari illustrius, quod nuper inventum pratorum more totum viresci, perinde ac campi fruticatione floribus, herbis, arboribus, atque omniferarum plantis virens.

Hoc enim ideò admirandum, quod alibi hæc omnia alluvione soleant velut oppressa, obrutave nimio humore marcescere, & perpetua fluctuatione attrita disrumpi, ac fracta interire: & tamen vigent, virentque nuper invento mari gratissimo jucundissimoque; magis prospectu quam vllo commodo Parium mare, quod novum Orbem alluit, tot herbis virentibus ac florentibus implicitum, vt navigari non possit, obsidentibus retium more longissimis herbarum ramusculis. Tantum illud pelagus pratorum refert similitudinem, vt quo vertantur ipsi fluctus, eodem germina omnia convertuntur pelluntque, vt ipsi quasi herbarũ magis, quam vndarum fluctus esse videantur: eoque sunt navigantes discriminosiores, quod velut retibus ramusculorum flexibus navigia impli-

plicent ne vsquam converti possint. In quo discrimine primus omnium periliclitatus memoratur Christophorus Columbus, omnium quinovum Orbem lustrarunt Antesignanus.

Est autem ea res longè admirabilior, quandoquidem cum illius maris profundum tantum sit, vt quibusque triremibus vehendis sat sit, ab imò herbæ exurgant, vsque ad ipsius æquoris superficiem coalescant, implicanturque mutuò: & quod augeat admirationem, etiam superant altitudine, ac adolescenti luxuria, ipsam superficiem, super palmos quindecim, vt quandoq; dimensione facta, tanta sit reperta, à radice ad summum cacumen herbarum propagata longitudo, ad palmos sexaginta: intra mare quadraginta quinque, extra quindecim. Vnde creditu omnibus facile esse debet, navigia velut retibus hujusmodi herbis implicari, de quibus vide plura Ovetensem libro secundo capite quinto, & Petrum Martyrem in summa. Sed quid admiramur meritò mare gramineum

Cum meus Reverendissimus Dominus Abbas in vna nostri Cœnobij piscina triticum curaverit seminari, pabulum pro Carpionibus, cujus sementis herba intra aquam postea, in longitudinem duorum cubitorum & semis, absque spicis biennio crescens & virescens sub aqua perduravit, deinde computridum, lautissimum squamigero pecori fuit convivium.

Evolutis itaque Pario mari triremibus septem triones versus navium proras applicant, quatuor enim gradibus tantum ab æquinoctiali linea classis distabat, sub zona torrida morantes, ac proinde maximus æstus aërisque calor effecit, vt non solum naves multis in partibus fatiscerent, sed & dolia olei & aquæ dulcis ac vini, damnum corruptionemque susciperent, plurimique ob fervorem aëris, ac capitis dolores, totiusque corporis, ac virium resolutionem defectionemque, vt ipsis videbatur, amplius perferre posse navigationem conquererentur. Consumptaque erant aut corrupta insuper omnia sanitatem instaurantia, aut refrigerantia, vtpote fructus malorum granatorum, citria, & limonia poma &c.

Admiraldus verò Columbus socios bono animo esse jubet, ac intra paucos dies se Spagnollam novi Orbis visuros esse pollicetur. Et divinationis votique compos veridicus vates extitisset Columbus ni sæva tempestas interveniset; sub vesperum enim altera die horrida ventorum procella ingruebat, operiebatque grandisonus imber, pelagus, immanis fluctibus ferebantur disjactabanturque triremes fulguribus tonitruisque profundum fremebat mare; clamor ac timor, pavidusque sudor navigantes socios occupaverat. Naves enim ita jactabantur, vt modo nubes contingere, rursus in imas profundi voragines devorari & detrudi viderentur.

Taceo illud terribile periculum, de quo sic ad Navigantes quidem Poëta cecinit:

Inunc

I nunc & ventis animam committe, dolosò
Confisus ligno, digitos à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

At venerabilis & gravis morum sanctimonia Buelius Patriarcha, socios hortatur, mentem vt Deo expiant, ac pia precatione sublevent; confidantque Christum Dominum os & maxillas sævi maris freno suæ omnipotentiæ occlusurum, ac vt venti & procellæ obmutescant imperaturum: continuo sibi maris aquæ aliquid afferre jubet, eamque benedicens è capsula aurea, paucos olei sanctificati guttas instillat, mox è patella per modum crucis, à puppi in mare projectat; Ecce quid fides & fiducia in Christum Dominum, ecce quid sacra charismata benedictionis Sacerdotalis prævaleant: protinus murmura fretisona cessant, fugiunt atræ nubes, stellarumq; fulgore & exhilaratur Aplanes, & illuscente aurora omnes Salvatori Christo laudes persolvunt. Sacris itaque peractis vela denuò explicant, remosque accommodant, ac disjectos socios triremesque rursus in Ordinem cogunt, inceptumque secundis fluctibus residuum itineris prosequuntur. Gubernator classis Astrolabium magneticum quàm astronomicum observat, elevationem poli Arctici ad 8. gradus invenit, acum verò magneticam 6. gradus, declinasse reperit, nec longè amplius à meridiano Spagnollæ ipsos distare, socijs indicat; exhortaturque vt validis viribus remos ducant, & proras triremium Occidentem versus Gubernator dirigit. Tandem divina gratia coadjuvante post triginta & vnum diem, postquam à fortunatis Insulis naves exsolverant è Gabio sive Carchesia speculator terram se videre inclamat, eaque fuit Insula prægrandis Canibalium quàm S. Crucis titulo Insulam decorabant. Admiraldus Columbus Celoces cum aliquot militibus cõtinuò expediri jubet ad indagandum portum, vrinarioque plumbo, in arenoso solo triginta perticas profundum mare comperiunt. Pro triremibus ergò tuta statione reperta anchoræ proijciuntur. Insulæq; situm & qualitatem ab exploratoribus eo missis cuncti expectant. Hi verò ad nostros redeuntes mira enarrant: & quam virides sint Insulæ, & innumerabilibus consitæ arboribus aromaticis, quibusvé suavissimis herbarum plantis, tum odoriferis frugibus abundent, explicant. Admiraldus itaque Columbus Insulas perlustrat, in tuto interim classem consistere jubens aliam Insulam Marininam comperiunt; ab interpretibus ergò quos secum baptizatos Spagnolenses ab Hispania vt supradictum Indos penes se habuit scisitatur; quales hæ Insulæ essent, & quis eorum modus vivendi. Hi narrant hanc Insulam à Solis mulieribus inhabitari, essequè Canibalium vxores tributarias ea conditione; vt singulis annis fœtu concepto à fœdissimis Canibalibus, filios ipsis redderent pro tributo: filias verò ipsæ mulieres educarent ad futuram propagandam prolem. Solent enim longè latèque quam plurimas Insulas infestare, vt homines ad devorandum rapiant pacemque cum illis solum populis paciſci, qui filios proh scelus ad devorandum illis pro censu annuo porrigunt. Omnibus

nibus Insulis Canibalium perlustratis, quas modo Antillias sive Camericanas Geographi vocant. A Capo de tres Puntes sive mari Pario vsq; ad S. Crucis Insulam (sic enim ab erecto S. Crucis ligno à Patriarcha Buellio Insulam vocabant) quæ è Regione Spagnollæ quadringentis leucis distat, cum tota classe paulatim insequente conveniunt. Mirificus ex hac Insula ad vnius milliaris distantiam, omnium aromatum odor exspirabat: hanc ingressi aliquot Hispanorum militum, ad explorandum Tambos, id est, mappalia, seu tuguriola in girum quam plurima è palmarum aliarumque arborum ramis constructa contectaque reperiunt. Visis Hispanis à longè subitò in latebras incolæ se abscondebant: Porrò Hispani domos sive mapalia eorum intrantes adolescentes & multos pueros ligatos inveniunt, quos isti Canibales ad consuetum macellum, prô scelus observabant, atque vt Europæi consuevere anseres, vitulos, capponesque saginare; sic isti hos pueros edulijs impinguabant, vt illis pro futuris epulis essent ad devorandum accommodatiores. Culinas eorum dum Hispani pervestigarent, ollas plenas manibus pedibusque, & alijs humani corporis membris dissectis carnes humanas reperere, quin etiam mediam partem adolescentis prô facinus in veru defixam assamq; invenerunt. Ambitus autem hujus Insulæ S. Crucis ad tria millia milliariorum Italicorum protenditur, estque in ea illud commemoratione dignum, quod præter insignia flumina plura immensæ latitudinis, etiam Septentrionalis illius plagæ mare dulce est. Vide P. Hisp. Hispani verò longiùs à mapalijs in nemora indagando abeuntes in Canibales incidũt, qui quatuor mulieres captivas ducebant. Visis ergò ignotis hominibus Hispanis; elevatis manibus mulieres Hispanorum implorabant auxiliũ. Canibales vltrò prædam deferentes ad maris littus profugiunt. Hispani verò cum opima præda mulierum ad classem suam contendunt.

P. Hispan. p. 5. cap. 2.

Sed novi Canibales Canoibus (quod est cursoriæ naviculæ species illarum gentium) supervenientes, multos captivos viros & mulieres ducebant; solent enim hi Barbari vt supra dictum vicinos bello lacessere vt captivos si quos apprehenderint assare domi & quam crudelissimè devorare possint. Hos ergò Hispani lembis expediti aggrediuntur; atrox fit prælium, sagittis venenatis Canibuli Hispanos vulnerant, adeoque illis ferox & audax animus fuit Canibalibus, vt triginta loricatos Hispanos octo saltem Canibales nudi armis suis aggrederentur. Hispani Canibulorum Canoas tandem submergunt, Canibales in mare prosiliunt natandoque sagittis Hispanos petunt, donec tandem glandibus plumbeis res peracta est. Vulneratos occisosque Canibales & reliquam prædam Hispani ovantes ad classem abducunt. Sed age bone Lector istarum gentium mores ritusque patrios indagemus, vt intelligas, quales populos barbaros erudiendos in fide Christiana, hi Religiosissimi S. Benedicti sodales susceperint. Totam verò Americam quam plurima Regna, Insulas, variosque populos habere ex sequentibus scriptoribus audies. Sic enim interpres Gregorius Boncius cum Romance Castellano in Gemmam Frisium ajt: *Tienne America muchas Islas Comarcanas la Isla de Parias*

La.

La Isabella quæ dize Cuba Espannola en la qual se halla al palo Guaiaco el qual cura el malfrances: los habidadores de la Espannola comen serpientes grandes, ij raices de plantas. Losque habitan en estas Islas tienen semejantes costumbres Con los moradores de America. Hoc est: Habet autem America Insulas adiacentes quamplurimas; vt Parianam Insulam Isabellam, quæ & Cuba dicitur, Spagnollam in qua reperitur lignum Guaiacum, quo vtuntur nostrates Chyrurgi, contra morbum Gallicum.

Accolæ verò Spagnollæ Insulæ, loco panis vescuntur serpentibus maximis, & radicibus. Ritus & Cultus istarum circumiacentium Insularum par est Americæ accolarum cultui. De his ergò audi modo Petrũ Hispanum ab Angeleria de Insulis Antropophagis sic differentem: Adventare Hispanos Incolæ dum sentirent, domibus derelictis, tam viri quàm fœminæ in antra profugerunt. Ex pueris & mulieribus captivis, quos ex vicinis Insulis prædati fuerunt Canibales (solent enim hi vicinas longinquasque Insulas & Regiones bello infestare, ac quoscunque deprehendunt vt feras nostri in Europa Venatores, pro lautissimis epulis ad devorandum asservare.) ad nostros circiter triginta supplices manus ad cœlum tendentes confugiunt, Domos eorum sive mappalia nostri ingredientes, habere fœdissimam gentem Canibalium instrumenta fictilia, omnisque geris cacabos, orcas, cantharos, & alia hujusmodi nostris Europicis non multum dissimilia vasa, atque in eorum Coquinis elixas de Spitacorum anserinisque carnibus verubus fixas & assatas carnes humanas prô scelus comperiunt Domorum penetralia latibulaque perscrutantes, tibiarum & bracchiorum humanorum ossa, calvarias, craneaque hinc inde dispersa exesis carnibus aspiciunt. Inveniuntque caput nuper occisi juvenis trabe appensum sanguine adhuc recenti madidum; quod instar vitulini capitis ad devorandum asservabant.

Aliò verò suæ historiæ loco sic idem præfatus autor loquitur: Tanta est his nudis barbaris innata vis, animi tanta fortitudo, vt integram classem nostram adoriri sint ausi, prohibereque à littore tentaverint: natantes enim vmbilico tenus in mari, venenatas de suis arcubus sagittas jaciunt; nostri autem bombardis illos adeò deterruerunt, vt quamprimum latebras & condensa nemorum spelæa peterent. Reliquos qui in vado maris hæsitabant nostri milites insecuti sunt, & vnam de eorum naviculis, quas illi Canoas appellant, cum vno tantùm Canibale cæperunt.

In hoc navigio hominem alienigenam de propinguis Regionibus arctissimè vinctum deprehenderunt, quem more suo Canibales homo aucupio venati, postera die devorare statuebant: Obortis igitur lachrymis vinctus iste Hispanis inclinata cervice ac dorso supplicabat, vt ei vitam corpusque integrum ab his fœdissimis Canibalibus redimerent, indicavitque quanam ratione, sex ejus socij misere & crudeliter jam ab hac spurcatissima gente eviscerati, devoratique fuerint; itenditemque sequenti die de se futurum significavit, ni eum Hispani ab illorum modo manibus eripuissent. Et hæc fuit ratio cur incolæ Spagnolæ in prima navigatio-

vigatione Admiraldi Columbi se à conspectu Hispanorum abripuerint: Canibales enim Hispanos ad homoaucupium adventare arbitrabantur. Quare saluti suæ consulentes in tutiora se receperunt, quos crebris incursionibus in prædam lautam, ante Hispanorum adventum Canibales divexabant. Ex pueris quos capiunt, vt in Europa pulli gallinacei aut porci assolent castrant vt grandiores & pinguiores effecti lautis instructis mensis devorent, ætate autem seniores cum ad eorum manus pervenerint aliqui, occidunt crudeliter, & in partes partiuntur. Intestina & exta recenter pueri & mulieres eorum depascuntur, grandiora verò membra corporis, vt fœmur, brachia, sale marino vt nos Europæi pernas, suillas, & haleces condiunt, & in tempora servant. Mulieres devorare tantum apud eos religio, nefas & obscænum est. Et si quas assequuntur prædatione juvenes, ad sobolem procreandam non aliter atq; vaccas, equosque servant, curantque vetulas verò effectas, ad præstanda obsequia Oeconomica pro mancipijs habent domi.

Ferrum gens ista non habet, pro cultris & securibus duræ marinorum piscium costæ aut lapides sunt, quos ex quibusdam fluvijs colligunt, adferri calybisque munia præstanda aptissimos lapidumque durissimorum allisione quorundam acerrimè eos acuunt. Sed audi ex Majolo de natura horum lapidum sic asserentem: Præterea flexibiles reperiri lapides, retenta duricie cogimur admirari: licet enim tener videatur ac mollis quidam nunc in novo Orbe repertus lapis, suam tamen habet lapideam duritiem, quam tamen quisquis tactu premit, flectit. Experiaturq; in illo illud idem flexibile, quod in præduro corio videas: flectitur igitur in quaslibet velis partes: ac velut plures in vnum compacti lapides sint, sese ostentat: vimque eandem gerit, exacuendi gladios, quam cotes habere consueverunt. Pro armis ex ligno quodam durissimo scipionibus acutis vtuntur, cum supradictis veneno infectis sagittis, quas sicut & gladios de ossibus animalium, pisciumque marinorum dentibus, ac alijs similibus fabricant. Corpori nudo serpentes atque bufones succo quodam nigro ac purpureo appingunt: in fronte, genis, naribus, labris, foramina, caveasque Escharoticis medicamentis faciunt sicut nostri Chyrurgi per artem cauteria, quas foveas gemmis margaritisque præciosis, & aureis annulis exornant, adeoque deformes apparent, vt dæmones non homines esse crederes: Vestitum alium non habent, quam perizomata pro pudendis, quæ de gossipio aut anserinis pisttacorumque diversi coloribus plumis conficiunt, Homines sunt colore subnigro, capillum mollem habent, nigrum vsque ad aures promissum à fronte, in verticem calvitiem, sunt omnes imberbes, propterea quod volsellis omnes corporis pilos evellunt! litteras nullas norunt, disciplinam nullam observant, malefacta, sceleraque non puniunt. Sine conjugio certò sed turpiter vt canes prolificant: Mulieres sunt bellicosæ, natando cum sagittis, nonnunquam centum quinquaginta milliaria conficiunt, post partum mox se aqua marina lavantes, omnia munia domi subeunt, ac si fœtu minimè gravidæ fuissent, vterumque gestassent. Plerique cœlum

Titulo lapides fol. 319.

& Solem adorare solent: & larvas quasdam spectraque nocturna, quæ illis intempesta nocte apparere asserunt, supplices venerantur: ex gossipio ergò in speciem lemorum nocturnorum visorum similitudines larvasque conficiunt, quas deinde divino cultu colunt turpissimos cacodæmones. Solent etiam & Penates sibi construere, & singularia quædam Lararia ex avorum & parentum suorum defunctorum cadaveribus.

Habet etiam gens ista sacrificulos suos idololatras quos illi Carrabies vocant, mirabilius in sacris suis vtentes ritibus ac ceremonijs. Inter cæteras superstitiones cum primis risu dignum est. In dedicatione sive expiatione cujusdam arborei fructus, quem illi Maraca nominant, ovistrutiocameli magnitudinem & similitudinem referens. Hunc fructum benè cavatum exsiccatumque perforant, & vt apud nos artifices puerilia crepitacula præparari solent, ita ille lapillos torrentis nitidos, aut milij grandioris grana imponunt, baculoque sesquipedali trajecto, instrumentum sive crepitaculum nomine Maraca fabricant; id deinde quamplurimis psyttacorum aliarumque avium exornant plumis, & se ipsos toto ferè corpore amiciunt, inficiuntque teneri quadam materia corpus inungentes, vt plumæ adhæreant. Et cum solennes festosque dies, ritusque patrios peragunt, in manibus prædictum gestant crepitaculum tripudiantes.

Maraca verò hoc ritu expiare & dedicare solent. Longiorem dicti baculi partem in terram figunt, tunc cibum potumque lautè apponi jubent à Monsacat, (quod Patresfamiliâs Indicé sonat) persuasum enim habent; cibos istos absumi à Maraca: in quæ Deos suos invocare & adjurare solent, vt apud nos Zingari dæmonem in ampullas vitreas. Quindecim ergò dies continuos Psyttacorum plumis ornati Caraibes circum Maraca sua solenni ritu saltant, vulgusque lautissimè potitat, epulaturque, invicem abundantissimè cibaria sibi administrantes in maximo circulo tripudij, chorum circa Maraca sua ducentes; in cujus aurea soli sacrificuli Caraibes Syrmate ob longo, de plumis psyttacorum contexto Choragos agunt. Cannam, sive arundinem marinam excavatam ori apponunt, in qua Petum (Tabacum ego puto) herbam bombycis instar materia incensa præparata est, & vt supradictum in circulum saltantibus fumum efflant, patria lingua dicentes: Accipite Spiritum fortitudinis, vt vestros inimicos superetis. Illi verò qui extra circulũ Chorybantum instar chorizant, de fructu arboris cujusdam Achovaij Teveti nominant: piri speciem referens, sicut nolas, cruribus clangentes applicant, sinistra manu femur tangentes lingua patria hos versiculos cantant, tali melodia:





He he hua he he hua he he hua he he hua o Vech.

Quorum carminum sensus consolatorius hic est: Nempè quod Avi illorum fortissimi fuerint Heroes, & quod multos de Ovetacibus populis devoraverint. Hac enim cum gente vna ex Provincijs Brassiliæ mari finitima bella gerunt, nullaque de causa ferè alia invicem bella gerunt. Populi Americani, quam vt majorum suorum cædem vlciscantur, quos reciprocè devorant: se invicem enim jam à multis sæculis bello lacessebant, & captivos cum peregrinis hospitibus & advenis, si quos prehendissent, devorabant: sicuti in navigatione vespucij in Belficam compertum est. Bella enim non pro tuendis aut propagandis finibus, sed pro dignitate suscipiunt, quoties opinantur se fuisse, à vicinis aut externa natione contemptos.

Quamvis compertum sit etiam eos à Dæmonibus ad bellum suscipiendum adactos esse. Sacrificolis enim Dæmonum Idola conquerebantur, ac præceperunt, vt Regem adeant, bellumque adversus vicinos populos suscipiat: nam hostias deesse; Deosque nunc vel maximè esurire, ac ferè fame perijsse. Ex quo factum, vt hostias, id est, homines ex vtraque parte præliantium captivos Dæmonibus, & in suorum vltionem immolarent; hacque ratione Hostia ab Hoste victo, & immolato dicuntur, magnaque Carnificina, & sanguinis humani effusio hoc modo à nequissimis Dæmonibus, qui ab initio homicida, & mendax fuit, causabatur. Sic etiam Christus Dominus, pro nobis peccatoribus Dei inimicis Hostia Deo Patri sanguine effuso in Cruce immolata est. Ex quo vides, qua ratione sanguinarius Cacodæmon apud hos miseros Indos, divinum honorem æmulaverit; & sanguine humanum sibi offerri petierit. Superbia enim eorum, qui oderunt Christum, hominem, & naturã humanam; vt Psalmista ajt, ascendit semper. Reges ergò Americanorum populorum, præcipuè ob hoc invicè bellis se conficiebant, vt quam plurimas hostias, & captivos homines ad immolandum suis diabolicis Idolis acquirerent. Qua verò ratione Caribaniæ gentes, qui Canibalium sunt progenitores, quibusve ceremonijs rituque patrio, captivos milites devorare solent, sic ex Osorio accipe.

Quos in bello capiunt, senes præsertim statim comedunt, reliquos vinciunt. Eos qui ex suis in bello conciderunt, funere efferunt, cum multis lachrymis, eorumque virtutem prædicatione celebrant. Captivis Cibaria largissimè præbent, eisque mulieres cum quibus cubent, elargiuntur. Cum verò festos dies agere volunt, vnum ex captivis, quem jam satis fartum & opimum esse conspiciunt, funibus alligant. Primum illius amica in amoris signum in collum funem injcit, & delitias suas ad supplicium detrudit. Homines deinde circumsistant, & ventrem, & brachia, & tibias illius astringunt, tum columnæ affixum co-

lori-

6

loribus depingunt, & plumis varijs exornant : Ne verò parùm humani videantur, laxant illum vinculis interdum, & cibo atque potu sanè lautè atque hilariter accipiunt.

Interim verò omnes comedunt, & plurimum illius quam diximus potionis absumunt; Saltant præterea & cantant atque tripudiant, & tres dies in hoc apparatissimo ludo consumunt. Tandem post triduum illum pedibus atq; manibus jam vinculis expeditis in caveam deducunt. Mulieres atq; pueri vinctum secundum ventrem funibus trahunt. Homines verò & mulieres reliquæ mala citrea, & fructus varios in eum jaciunt. Ille verò quæ potest ex conjectis pomis colligere, rursus in illos à quibus fuit impetitus intorquet. Bibit interim potum quem Acua dicunt, vt apparet jucundissimè, nec enim ei cibus aut potus denegatur: præ se fert autem non mediocrem lætitiam. Illi forticulum hominem, vt se existimari cupit convitijs onerant, & multis contumelijs insequuntur. Dabis inquiunt, homo perditissimè atque proflagatissime pœnas scelerum: & sanguine tuo manes eorum qui in bello ceciderunt, vlciscemur. Te enim contrucidabimus & dilaniabimus & assum devorabimus. Ille verò nihil moror inquit; non enim ignavi, neque timidi pœnam sustinebo. Semper enim viri fortis officio functus sum. Si me occisuri estis, multos ipse multis in locis occidi. Si carnibus meis saturandi estis, & ipse carnibus multorum saturatus sæpè fui. Præterea sunt mihi fratres atq; cognati quos scio, meam necem haud impunitam relicturos. Ad hunc modum in caveam tandem includitur. Tum ille cui fuerat captivus in custodiam traditus, in caveam simul ingreditur, Corpus autem habet depictum & collum plumeis ornamentis excultum: manibus verò ingentem gladium vibrat, tum saltat & sibilat, & gladium intentat. At is vt gladium illi è manibus extorqueat, summo studio contendit, sed dum in vnam partem impetum dat, mulieres atque pueri cum fune quo est alligatus, quem manibus tenent ad se trahunt. Dum rursus in contrariam partem se contorquere nititur, ex illa parte similiter mulierum manibus impeditur, vtrimque enim ita distinetur, vt se eodem loco commovere non possit. At strenuus ille gladiator eum gladio contundit, & debilitat, atque tandem medium illius caput ingenti vulnere discindit, cerebrumque dispergit, manus deinde præcidit. Tum mulieres accedunt, & corpus exanimum in pyram conijciunt, vt omnibus pilis adustis, illud facilius abluere queant. Dissecto autem ventre, illia cum extis evellunt, reliqui corpus in frusta decerpunt: & ne plura persequar, illius carnibus omnes cum magna voluptate vescuntur. Sunt & alij sylvestres atque montani homines, qui cum his, qui domibus habitant continenter bella gerunt, eisdemque se sceleribus & eadem immanitate contaminant.

Ex quo redarguas D. L. Fioravanti de Bononia lib. 1. cap. 24. discursum de morbo Gallico ex relatione Pasgualis Giboletti ex occasione belli inter Alphonsum Regem Arragoniæ & Neapolitanum, Gallosque commissi 1456. Qui causam effectivam principalem morbi Gallici vult

esse vsum in cibo carnium humanarum, idque ab exemplis, & experimentis probat aliquot bestiarum. Atqui nostri hi Canibales egregij carnium humanarum voratores nihil horum patiuntur, aut rarò, licet Salsæparillæ, & Sassafras *Por remedios en los mal Frainches* integras sylvas possideant. Deinde si hoc verum esset, omnes homines, quotquot sunt, hujus fœtissimi morbi, deberent esse participes, vel saltem ij, qui ab infantia lac fœmininum etiam non infectarum nutritionis gratia sugunt. Cui, quis tam vecors, vt neget animale sulphur, vel pinguedinem lacti humano non inesse? Cum verò Hispani sæpius hos Antropophagos increparent, ne tam sordidè carnes humanas devorarent; illi respondebant, se mirari valde, quod Europæorum carnes tam pulchras, nitidas, albas, suavissimasque porcorum & hircorum carnibus postponant, & nescire, quam suaves gustui sint carnes humanæ.

Alter versiculus tripudij Carnibalici id significat. Nimirum quod post montes obsua præclara facinora belli cum suis Avis, Atavisq; , qui multos etiam hostes occiderunt, & devorarũt hilaria celebrabunt. Tertius demum versus significat, quod proceris aliquando arboribus, conscensis, maris æstum & diluvium salvi evaserint. Scribit enim Petrus ab Angeleria crediti continentis l. 4. Abibejam Regulum quendam Regiam aulam habuisse in amplissima & immanæ proceritatis arbore. Incolæ enim istius novi Orbis, qui versus Austrum Oceani Insulas incolunt, in arboribus domicilia, palatiaque construunt, propter maris æstuantis periculum, & furorem: arbores habent isti inauditæ altitudinis 1441. pedes sese in altitudinem porrigentes. In Insula Ceiba tantæ crassitudinis arbores reperiuntur, quas nec quatuordecim viri protensis brachijs valeant circumdare. Proinde neque vnam sed plures domos in vno arbore visum est, constructas esse; tanta earum latitudo & altitudo ramorum se extendit, atque dilatat. Connexis itaque ramis gracilioribus artificiosè contra imbres ventorumque procellas muros & parietes semper virides construunt: Ex quibus etiam arboreis castellis egregiè contra hostiles impetus se defendunt, fundibulis, sagittis, lapidibus. Si vti sæpe fit, inter illos barbaros bellum ingruit, neque enim igne impugnari possunt, propter maris vehementissimum æstum, accessum & recessum, qui paucis horis iteratur hostesque fugere compellit. Plura de his Canibalibus si quis scire desiderat, consulat Theodori de Bry Scholia Francofurti impressa, in librum de America, Hieronymi Bezoni. Nos quoniam institutum de his gentium ritibus moribusque prolixè describendis non suscepimus, paucis his candidus lector quæ ad navigationis nostræ meliorem declarationem seriemque spectant contentus erit. Quales itaque barbarismos pijssimi ac Religiosissimi Patres ex ordine S. Benedicti in fide Christiana Catholica instruendos, ac humanitatis disciplinis, honestissimisque virtutum moribus imbuendos erudiendosq; populos susceperint, partim hic jam audivisti.

Et quoniam feri & effræni valde stupidiq; fuerant, crudeles humanarum

narum carnium voratores, ac sanguinis humani potatores, non solum verbo adhortationis mansuetè à nostris Patribus Religiosisq; Monachis S. Benedicti, ad frugem meliorem convetti poterant: Sed gravibus etiam in eos quibus severior justitia à Catholico Rege commissa fuerat, editis supplicijs à sua immani Antropophagia eos reduci oportebat, vti infra magis de Peruanis gentibus intelliges.

Relictis ergò Camericanis Canibaliumque Insulis Columbus Admiraldus vela Haitij versus solvere jubet, prægrandemq; Insulam Ayay transfretatus post diuturnam tandem laboriosamque navigationē Spagnolam appulit, veterisque hospitij jura repetijt. Missis ergò Legatis ad Guaccanarillum Regulum ac Hispanos socios, ante annum ea in Regione à Columbo relictis, tribus viris Americanis quos Roma secum recens baptizatos Christianos advexit, vt de eorum salute ac rebus gestis certior fieret. At isti longius moram trahentes ad suas patriotas aufugerunt. Cum ergò nihil de socijs rescire posset Admiraldus: Machinas bellicas ingenti tonitruo à triremibus exonerari jubet, quo dato signo intelligerent, socios suos ab Hispania advenisse, littus ac classem accederent ocius. Nemo verò comparuit præter homines Insulanos, quapropter à Rege Guaccanarillo Admiraldo sciscitanti, quinam socij valerēt Hispani, quos illi sacro fœdere sancito ante annum commiserat? Respondit; Multis cum effictis suspirijs, quanam ratione ab alijs Regulis arx illa & turris lignea extructa diruta sit, & accensa, omnesq; socij strenuè sese deffendendo emortui sint. Quibus cum vt fidelis ipsi Columbo confœderatus suppetias ferre vellet, in maximo ipsius conflictus discrimine versatus, retrogredi coactus fuit. (Sed fraude quibus Indi maximè pollent) ab Admiraldo cognita; is enim ipse Guaccanarillus triginta Hispanos cum munitione armis incendioque delevit. Proinde Columbus ducentos armatos continuò expedivit, qui Regulum sibi devinctum afferrent, Guaccanarillus verò Rex; postquam fraudem esse detectam nostris audivit, militesque Hispanos loricatos Insulam ingressos esse, enormiterque vbique grassare fuga sibi consuluit. In vicinas itaq; Insulas, cum omnem aditum sibi intercluſum ob ruptum fœdus Guaccanarilli Regis Admiraldus Columbus sentiret, non cunctandum ratus adibat armatus, cernebat enim momento temporis maximas Insulanorum in alterutram partem inclinationes, & ideo periculosum nimis esse in rebus bellicis occasionē vllam rei bene gerendæ prætermittere. Elapsam namque temporis opportunitatem revocari non posse. Præterea timidi & ignavi hominis esse præteritam facultatem frustra lamentari: Fortis autem & industrij viri esse, nihil quo res in tempore fieri commode posset elabi permittere. Insuper summum esse Imperatoris flagitiū, in rebus afflictis suos, sibique commissos ope destituere, eos præsertim qui ipsius & Patriæ gratia erant in extremum discrimen salutis conjecti. Quapropter continuò fabros operariosque concivit, ac optimo loco tutissimoque portum in Spagnolla Castrumque designans, munitionem ac civitatem construxit, quibus locis D. Thomam ac Sanctissimum Apostolum

ſtolum Iacobum, ſacros Patronos elegit, totamque claſſem ob maris æſtum remulco ad littus adduxit; anchoraſque firmavit arenis. In terram ipſe Patriarcha & Admiraldus deſcendentes, hic Eccleſiæ Dei locũ præfigens ingentem crucem ac trophæum Chriſti Salvatoris noſtri erexit. Admiraldus verò milites operariosque luſtrabat, & opus vrgebat, vt templum, civitas, munitioque cum omnibus belli requiſitis perficeretur.

Inſulani odio Hiſpanos hoſpites primo habere cæperunt, mox bello inveſtare, miſſilibusque ſagittis à Patria terra arcere tentaverunt; immedicabilibusque ictibus ſagittarum Hiſpanos vulnerabant, ex quo factum, vt quam plures noſtrorum emorerentur. Veneno enim læthali ſagittas tingunt, citiſſimèque corpus tactum tabe inficitur, niſi intra duodecim horas ſucco herbaque quadam, quæ ſolis Inſulanis nota eſt remedium adhibeatur. Noſtri Duces incolarum multitudini parcere volentes, & contra nudos homines belligerare imparibus armis ignominioſum ſibi ducentes; ad communem tamen pacis & tranquillitatis procurationem è majoribus æreis ſiphonibus, non quidem aqua maris eos implentes, ſed multis centenis globulis ferreis, vnam immani ſtragè Inſulanorum, cæteros metus. Ergò Admiraldus exonerari juſſit. Inſuper fit clangor tubarum, Claſſianorumque militum clamor extollitur, horrendaque caligo ex tormentorum diſploſorum fumo oculis affuſa, tàm denſas tenebras attulit; vt conſpectum cœli, atque maris & terræ adimeret. Nec enim aliud cerni potuerat, niſi horrificum incendium, ex multis tormentis erumpens, horriſonaque cum fulminibus tonitrua. Paroneſ itaque, Canoasque barbarorum aliquot centenas cum omnibus, qui intrò fuerant, haſtis ſagitiſque contra noſtros depræliantes diſipatæ ſunt, ac ingens Inſulanorum multitudo trucidata, cataveribusque littora, mareque cruento ſanguine æſtuabat. Iſti cum horribilem fragorem, in vita enim nunquam tale quid ſenſibus perceperant, præcipuè qui in continente erant, in terram ſemivivi omnes corruerant, cœlum enim ipſum diſſipari, terramque dehiſcere arbitrabantur, cumque ſe læſos & quamplurimos mortuos, ignemque micantem ingentique mare & terram fumo coopertam inſpicerent, ſupplices manus elevabant & fideles jungere dextras optabant. Fidelitatem ergò Admiraldo Columbo jurant, pacis commercijque fœdera ſanciunt. Deos eſſe Europæos, non homines putabant, nimirùm qui fatali igne tot & lædere & prorſus occidere poſſent.

Illud inprimis portentoſum his Inſulanis videbatur; equeſtris nimirùm miles Hiſpanus; quem celeriter in omnem diſcurrere partem, ſonipem aſcendere, deſcendereque, ac cum voluiſſet conſiſtere loco intuebantur; inſuper flammam, fragoremque è piſtolis ſpirare, ac fulmineos gladios vibrare, micantibus loricis ac galeis corruſcare inſpicerent, nihil enim horum ante Hiſpanorum in eas oras adventum noverant. Imò immortales eſſe nec mori poſſe Europæos, vt infra jucunda ex hiſtoria percipies, rudes hi populi exiſtimabant. Haitij ſive Hiſpaniolæ Inſulæ

sulæ ambitus est CIↃCCC milliarium : Longitudo quinquaginta. Latitudo pro sinuum & promontoriorum ratione varia. In hac Insula Spagnolla quinque olim fuerunt dispartita regna.

Primum vocabatur Maguna id est plena Regio, quam Provinciam plus quam triginta ex majoribus fluvijs & plus centum parvi torrentes ex rupibus præterfluunt, in quibus montibus auri, gemmarumque fossores ante Hispanorum adventum vltrà viginti millia Indorum exstitere.

Regni hujus Optimates quindecim fuere, quorum quilibet sexdecim millia peditum Regi suo, qui vocabatur Guariorex ad bellum educere potuit. Secundum Regnum vocabatur Marien quod vastius est Beticæ Portugalensi, montibus ac rupibus altissimis refertum, ex quibus aurum & argentum, multaque mineralia, & varij colores, præcipuè cæruleus ille preciosus pictorum color Vltramarin vocant, eruitur. Fluvij hujus novi Orbis, magis auro quàm piscibus abundant, adeò vt piscatores cum pluvijs hi amnes augentur pro piscibus quos quærunt, aureas glebas vri gallinacei magnitudine expiscentur; quas glebas torrentes è montibus cum alijs lapidibus imbrium fluxu: secum devolvunt, atque ita non hæc piscium piscatio est, sed auri, decentiusque hic aureo rete & hamo Claudius Nero piscari potuisset, quàm Romæ suas murenas. Vidi ego & penes se habet Toblones Hispanicos, ex hoc auro novi Orbis confectos meus Reverendissimus Dominus Abbas Seittenstöttensis, quorum color ita rubeus radiat, quasi natura fines metalli excedere voluisset. Ac illam famosam & paucis visam tincturam sive lapidis benedicti Alchimistarum Calculum philosophicum intentaverit perficere; adeò fulvum bonum miteque auri metallum est. Tantaque religio his Indorum populis est in colligendo effodiendoque auro; vt viginti purificationis dies, antequam specus subterraneas, ac auriferas fluviorum arenas ineant, celebrent: tantò enim tempore ab omni commercio mulierum se abstinent. O vtinam Christiani Laici & Sacerdotes, hac religione barbarissimorum hominum se meliorarent, castius, sanctius, honorificentiusque, purum illud aurum, & sacrosanctum Missæ sacrificium, sacramque communionem transigerent perciperentque. Tertium Regnum fuit Magnanum, cui inter alia vitæ humanæ commoda, vtensiliaque præstantis & dulcissimi saccari est copia. Cannæ altissimæ hic saccari excrescunt, sex cubitorum, ad crassitudinem brachij virilis. Octo & viginti Molituras sive torcularia hæc Insula ad exprimendum saccarum modo habet. Cujus saccari plus quàm trecentorum millium pondo singularis annis per triremes venundandi gratia ab Hispanis in Europam advehitur. Quartum Regnum fuit Xaragua, Rex hujus Buechio dicebatur, estque Regio ferarum sylvestrium, aliorumque animalium, divitiarumque abundans. Sextum Regnum dicebatur Higuei, cui vidua tunc temporis Regina Hignanama imperabat. Frequens est Regio frugiferis arboribus, ac fructibus, miræ varietatis ac suavitatis. Ibi est omnium generum avicularum præcipuè Psyttacorum magna copia, sylvas

Pet. Hisp. p. 5. c. 12. 13.

cantibus suaviſſimis perſonantes; ſunt & ſtagna dulcis aquæ nitidiſsima: fluvij, littoraque maris redundantes ſerpentibus, buffonibus, Crocodilis, lacertis, minimè noxijs ſed comeſtilibus, & ſuaviter vt apud nos anguillæ, Teſtudines, ranæ, araneæ marinæ, quas Itali Granceolos, latini Paguros vocant, Polypi, Grancipori, Lambrettæ, Murenæque comedi ſolent; pro delicijs ipſi convivalibus delectantur, comeduntque. Sed adverte amabo, quanam ratione Regulus quidam & Regina Hiſpanos ſemel ad convivium invitaverint, lautiſsimeque tractaverint. Rex primò obviam Hiſpanis cum ſuis Proceribus pedeſtris ibat, deinde arma quæ geſtabant ſuper capita impoſita frangebant, abijciebantque; quod pacis ac fœderis ſignum perpetui erat. Hos ſequebebantur miniſtri, odoriferis miræ ſuavitatis varietatisque in Calathis fructus geſtantes; quos ad pedes Hiſpanorum, multis anteperactis paraſangis deponebant, profundè deinde noſtris ſe inclinabant, caput, pectus, pedumque extremos digitos tangentes, totos ſe Hiſpanis ad ſervitia, ex ſyncera animi & corporis viribus offerre his ritibus teſtabantur. Poſthac cantare inceperũt, mirificisque geſticulationibus pedum ac manuum lætitiam oſtendebant. Demum triginta fæminæ ex præcepto Reginæ, toto corpore nudæ vt illis gentibus mos eſt, præter pudibunda, quæ fæmoralibus goſſimpinis plumeisque amiciebant. Virgines autem capillis per humeros ſparſiſtiaram de plumis pſyttacorum pulcherrimam in vertice geſtantes nullam prorſus corporis ſui partem, nec verenda contegebant; Palmarum ramos quos dextris geſtabant, cum inhærentibus fructibus Hiſpanis Cavalleris donum ferebant. Domum deinde Regiam ingreſsi, eorum more lautiſsimo convivio excipiuntur. Vbi primum tunc Europæi hominesque Hiſpani, ſerpentes atque lacertas, magno cum appetitu comedere didicerunt. Nam Regina Anacoana Reguli ſupradicti Xaragues ſoror; licet barbaricis Regionibus educata, multæ tamen humanitatis & vrbanitatis fuerat; ſæpiusque magnam gratiam; & benevolentiam Chriſtianis hominibus apud barbaros Reges meruerat. Erat enim alterius Præpotentis Reguli Conjunx. Hæc de ſerpentibus, quæ inter edulia principalem locum obtinent præguſtans, ipſis Ducibus Hiſpanis porrigebat; hi verò abhorrentes, nullo modo quidquam attingere volebant. Sunt autem hi ſerpentes Lacertæ, ac Crocodilli, nonnũquam longi vltra pedes viginti quatuor, craſſiſſimiq; ac pingues, in pelle rubris, flavis, nigris, albis, viridiq́ue colore diſtincti, quos illi Iuannas vocant; Hoſq́ue Piſcatores tantùm pro Regibus atque Dynaſtis piſcantur; ac interdicto cautum eſt, vulgò hos capere atq́ue comedere. Facetijs tandem Reginæ eo adductus eſt Bartholomæus Admiraldi Columbi frater, vt perſuaſus ab ea particulam præmorderet. Sed vbi demulcere, obbonum ſaporem harum carnium Crocodillorum ſerpentumque palatum cæpit, plenis deinde faucibus eos expetere Hiſpani videbantur.

Caro enim illorum eſt delicatiſſima, moſcum redolentes, hiſq́ue non aliter, vt nos vitulinis, Pavonum, Perdicum, Phaſianorumque carnibus delectantur, atque pro delicijs habent. Et fortè de iſtis ſcriptum dicit:

cit: Tu confirmasti in virtute mare, contribulasti capita Draconum in aquis. Tu confregisti capita Draconis, dedisti eum in escam populis Æthiopum. In hoc lautissimo convivio aliud lepidum accidit: Pilota enim cujusdam nostri Navarchi, de navi adveniens scisciтari voluit, quando nostri ad triremes reverterentur: secumque vt assolent Naucleri hoc se recreare instrumento Portugalicum ad cingulum portabat liripippium. Hoc inflare jussus penes convivantes, Regulus cæterique viri Americani, Hispanos interrogant, quodnam animal esset, quod ita suaviter clamaret, rogantque vt in terram inambulare sineret; fistulas enim pro pedibus habebant, saccus verò coreacius liripippij discolori serico tegebatur, ac corpus esse animalis autumabant. Nostri arridentes, ajunt esse instrumentum musicum: non animal esse, quod tamen vix illis persuasum est donec omnia ipsi contrectarent. *Psalm. 73. 74.*

Columbus itaq; Admiraldus, fœdere cum vicinis Insulis resarcito, rebus suis ex officio competentibus à Rege Hispaniarum Catholico sibi commissis operam navat, Civitates, Castella, classium portus, eductis ab Hispania artificibus ædificanda distribuit, vt deinceps tutius, securiusque cum his Americanorum populis mercimonia, rerumque commutationes exercere possent. Minimè verò interea Reverendissimus & Illustrissimus Apostolicæ sedis ad hos occidui novi Orbis Legatus cum socijs de sodalitate S. Benedicti sibi adjunctis ab opere torpent; imò verò monasteria, Sacella, templa, Basilicasque artificibus præfigunt ædificanda, vbi divinas Deo laudes psallere tuto & commodè possent, & sacrosanctis Missæ Sacrificijs divinam Trinitatem placare, vt infideli, crudeli, barbarissimoque populo, gratiam fidei, misericordiam, suique divini luminis radium & cognitionem, ardentissimis devotissimisque votis, impetrarent. Ipsis verò Operatoribus in vinea Domini Spiritus sapientiæ, donum intelligentiæ, fortitudinis, & patientiæque tribueret, vt omnes molestias, labores, & vitæ pericula, quæ in hoc arduo gentium harum conversionis negotio occurrerent, ipso Christo adjuvante, vincere & sufferre possent. Ideò Apostolicæ prædicationis munus assumentes, signis ac nutibus quibus poterant, & per interpretes supra Baptizatos agere cæperunt, vt Trina in vnica Dei ab æterno existentis substantia personarum differentia, Numen tremendum & colendum Christianorum subsistere indicarent, & à Sacrilego crudelique idolorum cultu; scelerumque impurissima vita, ad verum Dei Domini nostri Iesu Christi Redemptoris cultum adducerent. Gymnasia ergò quamplura instituerunt in quibus certis diurnis horis pueri & viri infidei Christianæ articulis edocerentur, symbolumque fidei cum decem præceptis, oratione Dominica, atque Angelica salutatione. Idiomate Indico conscribi curarunt, ac publicé omnibus qui litteras Americanas, vel Hispanorum nossent lecturis, honesto loco affixerunt. Insuper privatim multum elaborantes, vt vitiorum ipsis turpitudinem explicarent, ne se his contaminarēt, forè enim vt semel nisi lavacro expiarentur, ac salutari pœnitentia ea diluerent, æternis inferorum ignibus post mortem excruciandi traderentur; virtutes quoque ipsis ostendebant, non solum verbis sed exemplis, miseri-

misericordiam, temperantiam, pudicitiam, modestiam, patientiam, humanitatem, pietatem, fidem, spem, charitatem; & quæ præmia his virtutibus ornatis in cœlo remanerent, lucida oratione ipsis barbaris explicabant.

Ex qua industria, atque solertia brevi illud effectum est, vt multi centeni Indorum Cathecumenorum sacro baptismatis fonte lustrarentur, crescebat enim indies Deo Opt: Max: auspice & adjuvante numerus credentium, multumque in sacris Christianorum ritibus proficiebant. Sed in quantum nostri Religiosi Monachi & Sacerdotes verum Dei cultum promovebant, ignorantibusq; lumen fidei prophetabant, & evangelizabant; in tantũ iniquissimus humani generis hostis Cacodæmon per sacrificulos suos, quos Caraibes illi vocant; quantum desuper permissus est resistebat Nam attroci odio Christianos Sacerdotes persequebantur, ac probris mendacissimis apud vulgus quàm Regulos, Procereſq; Indorũ quos illi Caziques ajunt adversum traducebant, affirmantes quo die isti in eorum Patriam advenere, omnem vitæ necessitatẽ, societatem, Deorumq; cultum ac voluptatem ipsis aufferri, ideo ne eis aures præbeant, vel fœdera jungant vehementer suadebant; sed potius præsentibus vitæ delicijs perfruantur, ac omnes à sua terra Christianos expellãt, vt suo Patrio more vlterius ipsis vivere liceat, fortiter pro focis & aris potius dimicarent. Fædissimis enim supra modum corporis voluptatibus indulgebant, & ad puritatem cælibatus, & conjugij continentiam nullo modo arctari volebant. Insuper execrabilibus veneficijs ac superstitionibus irretiti erant, ac nefanda Antopographia, dæmonumque sacrificijs erãt perquam infames, De quorum Diabolicorum Idolorum simulachris, cultu, specieqũe illorum, aliqua hic tibi recensebimus.

Colit autem gens ista Haiti cum cæteris sibi vicinis Insulis Deos (diabolica delubra dixero potius) quos illi Zemes vocant, id est, internuncios magni cujusdam Dei sive Diaboli, quem vnicum, fine carentem, omnipotentem-invisibilemq; esse fatentur: à quo Solis calores, pluvias, & auxilium in bello per horum Zemiũ preces se assequi credunt. Eos enim Zemes pro Alexicacos, id est, malorum depulsoribus & defensoribus hominum colunt. Sed adverte vti veri Dei hic Simia diabolus est, ita hæretici ministri veræ Dei Ecclesiæ Catholicæ, qui se pro Angelis & Sacerdotibus falsò vulgò prostituunt. Hos ergo Zemes Insulares Americani Religiosè colunt, tanquam tutelares Patronos omniumq; beneficiorum tẽporalium procuratores; gracili vel procera forma sculpunt effinguntq;, atq; hos funiculis quibusdam, tanquam magni illius supramemorati Dei (sive Diaboli dicam potiùs) fœtus sive minutiores dæmunculos, in frontibus dependere sinunt; quisquis enim illorum propius, vel vicinius hæc Idola penes se habuerit, ita proximiorem inclinatioremq; illius magni dæmonis gratiã & favorem habere reputant. Solet enim quilibet Regulus, quorum permulti in illis Insulis dominantur proprium suum Zemen populo suo colendum exhibere. Non aliter vtmodo in Europa à vera fide Catholica alieni præcipuè in Germania hæretici Primates. Nam vnũ Zemen alterutro apud magnum supradictum illorum Deum vel dæmonem

nem, in rebus procurandis potentiorem, fortioremque præstare existimant. Magnum verò Dæmonem his nominalibus titulis decorant, vocitantque *Iocauna & Guamaonocon*. Genetricem quoq; habere ajunt deum illum, quinq; his nominibus insignem: *Guacaropi, Tamijellam, Guimazoã, Attab, Euram*, id est, terram sive *Marionam*, forsitan ad illius Ioannis Bocatij Demorgogonis exemplar, quem ruriculæ atq; montani Deum Deorũ antiquitus colebant, cum viderent spontè terram, sylvas, arbustaq; quæque producere, flores, fructus, & semina emittere, animalia cuncta alere & demũ in se morientia quæque suscipere ac recondere. Magnum præterea dæmonem sub Sole & Cœlo stellato latere & residere ajunt; quos ea propter & adorant, præter Zemes supra jam nominatos minores. Litteris quoq; ac disciplinis Astronomiæ, sed rudibus observationibus hæc gens, sicut & versus Mexicum Regnum circumjacentes, Insulæ (præter supradictos Canibales) vtuntur; ideò ex interiori cujusdam arboris corticæ, circa q̃ notas suas imprimunt, cartam sibi conficiunt aptissimam.

Vidi ego litteras hujusmodi, à quodam Hispano homine Religioso, ex illis Insulis Romam conscriptas, quas Grecium portenti alicujus loco ad Academiam missas, dum ibidem in Stiria litteris operam darem, legi & contrectavi; quæ carta sive cortex pergameni tenuissimi mihi speciem referre videbatur, quod multorum jam manibus palpatum & fœdatum esset, non enim album erat, sed subflavum & mucidum. Ex his igitur arborum Corticibus sibi codices parant, in quibus legum, & sacrilegorum sacrificiorum (latrociniorum dicam potiùs) suorum ceremonias, Astronomicasque observationes, seminandi quoque agrorũ rationes, & culturam recondunt. Annum verò suum ab occasu Heliaco Virgiliarum incipiunt; & mensibus claudunt Lunaribus, quos illi Indico Idiomate *Tonas* vocant. Vnde Lunam vel Solem Tonaticum appellant. Delubra sua diabolica Haiti populi, præterea in fanis super alta pegmata statuentes observant plurimum: circumquaque Idoli locum iramque ponentes ciborum potusque copiam, omnis generis carnium atque frugum, maximè psyttacorum, anserumque discolorum quibus diteſcunt abundantia, ne fortè simulachra eorum, si esurirent, sitirentque, quidquam abesset, persuasum enim habent, magnum forè illius anni caristiam, si per negligentiam & defectum, sacrificulorum delubris edulia sorbiliaq; vel momento temporis pocula abessent, adeoque illos dæmones fascinaverant, vt nonnunquam viderent oculis vasa ista evacueri, subitoque potũ & edilia disparere, quod per fraudes diaboli qui ab initio mendax fuerat, acciderat. Istud verò magis ridiculum est quod narro. Sacrificuli enim illorum quos pro Sacerdotibus suis colunt, accipientes vnã psyttaci benè pinguis vel alterius carnis partem, ora prædictorum idolorum illiniunt, affirmãtes, Deos istos sanguine hujusmodi & pinguedine quam maximè delectari, vnde adeò despurcata sanguine & tabe Idola se vidisse Hispani memorabant, vt vomitum nauseamque ipsis præfætore & turpitudine commoverent. Multò verò horribilius factũ audies infra cum Regnum Peruvianum describemus, vbi non psyttacos & anseres, sed miseros homines & infantulos his dæmonibus pro cibo immolabant, & sa-

crificabant. Vnum Deum Americanos colere audiviſti, eumq; infinitũ, inviſibilem, omnipotentem, quod me valdè in ſuſpicionem adducit cum Nicephoro, has omnes gentes licet de Canibalibus tantum ille opinetur Chriſti Domini Evangelium per Apoſtolum Matthæum audijſſe & recipiſſe, dum fortè antiqui eorum Parentes avita traditione, Chriſtũ Dominũ mundi lucem de cœlo veniſſe & prædicari audirent; quod eorum poſteri modo de materiali ſole ac lumine cæli intelligunt. In omnem enim terram ſonum Apoſtolorũ ac Evangelij exijſſe certum eſt. Et nuper in India Orientali ex certiſsimis ſignis cognitum eſt, S. Thomam Apoſtolũ illis gentibus præcipuè Calecutianis & Malabaribus Chriſti Evangelium prædicaſſe. Eodem modo incredibile non eſt, quin quoque S. Mattheus Apoſtolus his Inſulis Americanis Evangelium prædicare potuerit, ſiquidem diſpenſatione ac providentia divina Propheticis vt ſupradictum decretum eſt oraculis, vt Apoſtoli in omnem orbem terrarum, vbilibet homines continebantur converſabanturq; Chriſtũ Dominum Salvatorẽ mundi gentibus annunciarent. Exemplum habemus de Theſaurario Reginæ Candaces Æthyopiæ & Philippum Apoſtolum, qui poſtmodum per Spiritum Dei rurſum in Samariam abreptus eſt, ad fidem Chriſti cõverſum. Qui Eunuchus poſtea inſtruxit in fide Chriſtiana gentes Æthiopiæ. Sic Mattheus absque triremibus Oceanum occiduum transfretare potuit, Canibaljumq; populos prædicatione Evangelij inſtructis, in Æthiopiam rurſus reverſus, vbi pro fide Chriſti paſſionem martirij ſubijt. Quamvis poſtea heu dolor factum eſt, vt è mortuis vel à barbaris Americanis crudeliter occi[illegible]S. Matthæi diſcipulis, quos ibidem pro conſervatione & propagatione fidei Chriſtianæ dereliquit, ſenſim Chriſti doctrina & Evangelium defecerit: aliquibus ijsq; valde debilibus veſtigijs derelictis, vſq; in hæc tempora quorurſum ad fidei Chriſtianæ lumen poſtliminio per Monachos Ord. S. Benedicti revocati ſunt. Populos enim in ſalvationem; & gentes ille in terra Deus noſter dirigit. Compertũ enim eſt ex hiſtorijs, qui de his ſcripſere gentibus, Canibales nimirum, ab Hiſpanis interrogatos eſſe, cur ita comam in circulum formarent, raderẽtque vti noſtri Monachi aut Epiſcopi aſſolent Chriſtiani, quibus amplior corona tonderi ſolet. Reſponderunt: Ob virum quendam Sanctum & Deo amabilẽ, qui multa apud eos mirabilia effeciſſet, in illius hoc ſe memoriam imitatione mq; facere: & quod hanc conſuetudinem à majoribus ſuis ſic accepiſſent.

Hic reticere non debeo, quorundam ſtupiditatem, qui omnes antiquitates majorumque traditiones pias, ad cauſas naturales revocare volunt, vt aliqui nugatores de Polonis, Vngarisque ac vicinis illorum arbitrantur. Eos nimirum comam ideò radere, quia multam allij vlpici, vel cæparum copiam devorent, & vt facilius ſe ab horum vaporibus ſuũ caput expediant, ideò comam radere. Sed aliam eſſe rationem apud Arnoldum Wyon Belgam Ordinis S. Benedicti Sacerdotem & Monachum reperies libro ſuo ligni vitæ p. 2. nam hunc morem hi populi à Monachis S. Benedicti certis de cauſis ac pactis mutuati ſunt; & primus hujus moris inſtitutor in Polonia fuit. Caſimirus Rex & Monachus qui è Clauſtro

Arnold. Wion, lib. lig. vit. p. 2.

7



ſtro Regni Galliæ Cluniacenſi, cum Regius ſanguis per lineam ſucceſſionis Polonis deficeret evocatus eſt in Regem Poloniæ. De quibus plura quia brevis ſum apud ſupracitatum Autorem relegas.

Sed audi vlterius memorabilem de Zemibus vel Idolis gentium Americanorum hiſtoriam: Erat quidam Regulus ex prædictis Inſulanibus, qui multis à ſuis vicinis prælijs cladibusque vexabatur. Huic familiariter quidam devotus Hiſpanus adhæſerat, opemque ſuam illi præſtabat, in rebus militaribus. Hic Regulum Caſtellanico Idiomate in neceſſitatibus ſuis bellicis edocuit invocare auxilium Beatæ ſemper Virginis Mariæ dicens: S. Maria adjuva me. Quadam vice igitur, cum adverſarij Reguli iſtius in aciem progrederentur, prelioque experiri vellent, quis nobilior generoſiorque bellica fortitudine (ea enim de cauſa vt ſupradictum belligeratur maximè) præſtantiorque eſſet, & potentiorem Zemen, id eſt Diabolum vt ſupra audiviſti haberet Patronum. Hiſpanus Regulum admonuit, vt Beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ Patrocinium invocaret: Quo facto, plurimi ex parte adverſariorum cũ ab illis attrociter certatum eſſet, mortem crudeliter obiere, in fugamq; pavidi repulſi ſunt. Viderant enim virginem pulcherrimam lucidiſſimis radijs ſplendendem, ſceptro minacique vultu eos in fugam timidos conijcere. Quare fraudem ſubeſſe adverſarij cogitabant, hoc pacto litem illis dirimere viſum eſt, nempè vtraque pars exercitus in apertiſſimo campo arctiſſimè manibus & pedibus ligatos juvenes ſiſterent, eum denique Zemen nobiliorem potentioremque eſſe, cujus partis exercitus juvenes celerius à vinculis abſolveret, liberaret. Solebant enim ſua Idola ſecum ad bellum portare, & in medium pro tutelaribus dijs atque Patronis ſtatuere, vt illos pugnare adjuvarent. Sancito fœdere pacta ſuſcepta ſunt: duos ergò Comendatoriano (ſic enim Regulus ſupramemoratus B. S. V. Mariæ cultor vocabatur) vinctos pars adverſa tradit: Idemque Comendatorianus parti adverſæ juvenes duos vinctos dimiſit; ita tamen vt quilibet exercitus ſibi traditos juvenes proprijs vincirent vinculis, vt omnis ſuſpicio fraudis abeſſet: Invocantibus itaque adverſarijs diu multumque qui Diabolici Idoli cultores erant, ſui Zemis opem & auxilium, vt illorum vinctos juvenes ab adverſarijs vendicaret; ſed nihil proficiunt. Comendatorianus verò Regulus absque omni Idolo & Zeme ad bellum profectus, aſuetum B. S. V. Mariæ invocationem repetens: S. Maria adjuva me: S. Maria adjuva me, illicò apparuiſſe virginem lucidiſſimis præfulgentem radijs, & fugato ab adverſariorum parte Idolo Cacedæmonico Reguli Comendatoriani vinculis diſſolutis ligatos juvenes in libertatem coram toto exercitu reſtituit. Ex quo glorioſo B. S. V. Mariæ triumpho, ac ſingulari beneficio factum eſt, vt qui Regulo Comendatoriano antea inimiciſſimi adverſarij eſſent, noſtriſq; hominibus Chriſtianis infenſiſsimi, deinceps fœdus pacemque paciſcerent, & multi centeni à noſtris Religioſis S. Benedicti Monachis & Sacerdotibus in fide Catholica catechiſarentur, & pabtizarentur. Imaginem ergò apud ſupradictum Hiſpanum Regulus Comendatorianus viderat,

derat, ſupplex dono petijt, quam & illi ſumma Religionis reverentia conceſsit, atque donavit. Fanoque ædificato in D. Virginis Mariæ honorem, patrio more ſuis ſacrificulis eam honorare præcepit, appenſis illi imagini præcioſiſsimis monilibus, lautiſsimeque cibum potumque miniſtrantibus, donec aliud à ſanctiſsimis viris ac Monachis Ordinis S. Benedicti hic bonus Princeps edoceretur, qui hunc cultum huic Sanctiſſimæ Virgini non convenire ipſi declarabant, & Zemes Diabolicos eorumque cultum abijciendos eſſe demonſtrarunt; qui nimirum Zemes nihil aliud noſſent atque præſtare poſſent, quam hominibus mentiri, bibere & carnes comedere. Scire autem debes Lector benevole, adeò hos populos ab iſtis dæmonum delubris infatuatos & eluſos fuiſſe, vt omnia quæ ipſi per ſtatuas loquerentur verum haberent. Item nonnunquã ipſas ſtatuas loco motas ambulaſſe, manibus cibum potumque ori applicaſſe, Zemesque vt ſupradictum, alter ad alterius exercitus partem accurriſſe, & vinctos juvenes liberaſſe ſæpiſsimè compertum eſt. Sed modò per Dei param Virginem Mariam & per vnigenitum illius filium Ieſum Chriſtum Salvatorem mundi confuſi & repulſi ſunt.

Vnum adhuc de his Zemibus ſive Idolis Americanorum gentium prodigium ex Petr. ab Angeleria referam, ait enim Guamaretum Regulum ligneum idolum ſive Zemen magnum eumq; horribilem ac turpiſsimum habuiſſe, cornutum, dentatum, atque caudatum; Et hoc Idolum dæmonis ad ſylvas ſæpe è vano vbi colebatur fertur præ iracundia aufugiſſe, ſi quando ſacrificulæ Cultoresque eorum negligentius in ſuperſtitioſo officio ſeſe geſſiſſent exhibuiſſentque. Minabaturque per ſacrificulos Idololatris ni ſe accuratius deinceps colant: *Aignan*, quod Americæ diabolum ſonat immiſſurum vt eos cædat. Quod & ſæpiſſimè factum legimus, Diabolos illis viſibiliter Draconum & aliorum ſpectrorum forma apparuiſſe, & flagellis fuſtibusque eos egregiè vapulaſſe. Zemen itaque iſtum fugitivum poſtea ſupplices in ſylvis latentem quæritabant, promittebantque illi majorem diligentiam, ac ſedulitatem in officio, ac copioſas melioresq; carnes potumq; deinceps præbere velle. Inventum ergò Idolum diabolicum ſolenni pompa ad fanum humeris ſuis portant, lætantur lautiſſimisque procurant honorantque convivijs. Sed & nuperrimè cum Chriſtiani has Inſulas acceſſiſſent, talè Idolum dæmonis è maximo famoſiſſimoque fano aufugit, nec vltrà redire volentem, ſed diſparuiſſe peſsimum dæmonium referebant, quod & Incolæ pro omine malo ac Patriæ pernitie interprætati ſunt. Quin imò perſæpè ſacrificulis reſponſa petentibus de ſalute Patriæ, aut Regum, paulò ante adventum Chriſtianorum in illas novi orbis Inſulas, dæmoniaci dicebant Zemes: homines barbatos & cuculatos huc brevi venturos, qui Patriam illorum, liberos & vxores, in ſervitutem redigerent, ac ſe de fanis iſtis expellerent, qui & omnibus ipſorum Patrijs moribus ac ceremonijs interdicerent. Quod & factum eſt, per Hiſpanos & Monachos Religioſiſsimos Ordinis S. P. Benedicti: Deſtructis & demolitis ſacrilegis aris atque Idolis, verum Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti Salvatoris

Remes Idolum Diabolicum.



ris Crucis signum gentibus illis introduxerunt, edocueruntque cultum. Quapropter odio acerbissimo barbari isti, tum eorum sacrificuli homines nostros insectabantur, adeò vt crediti continentis lib. 8. p. 7. Decad. 3. Petri Martyris; Coronellum Christophorũ Camignan, vna cum Monachis interfecerint, super quos de repente ex insidijs irruebant; Quia Zemes eorumque fana demoliti sunt. Vidi vlterius Hieronymum Bezonum lib. 4. c. 115. & c. 15. Vt verò candidus lector, aliqua ratione videre possit, ac cognoscere horum Zemium Idolum, formam, figuramq; & fabricam graphicè hic appingi curavimus.

Quod Idolum ego proprijs vidi oculis manibusque contrectavi, in ampliſſima multarum rerum mirabilium exornatiſſima Bibliotheca, tũc Archiducis Austriæ ac Styriæ &c. modo verò Invictiſſimi & Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris &c. Ferdinandi secundi: mihi communicata & demonstrata à Reverendo Domino Ioanne Cræselio, L. A. ac Philosophiæ Doctore nec non SS. Theologiæ Licentiato formato: Iuniorum Sereniſſimorum Græcij Archiducum Ordinario Præceptore, ac Doctiſſimo Bibliothecario, meo amico colendiſſimo. Quod Idolum peractis nuptijs Seren. Reginæ Margarethæ Hiſpaniarum cum Philippo tertio Rege Hiſpan. Catholico; Maria Sponsæ mater Sereniſſima Austriæ & Bavariæ Archidux secum portenti causa, cum alijs mirabilibus ac gaza ampliſſima in Styriam Patriam meam ab Hiſpania deportavit. Erat autem Idolum ligneum duriſsimum, cuius ligni ſpeciem agnoscere non potuimus, buxo ſimile visum est, pingue ac mucidum auro, rubinis, ac ſmaragdis in baſi ornatum. Cujus Icon ſive typus hic est: Hujuſmodi Idolorum ſtatuas de varijs materialium rerum ſpeciebus, Religioſi noſtri Monachi S. Benedicti in vna ſolum Inſula Spagnola plus quam centum ſeptuaginta millia confregerunt, diſjecerunt & combuſſerunt: omnibus enim ferè rebus vtenſilibus hos Zemes modo grandiori, modo minori figura depingere ac inſculpere ſolent: adeò vt ne cultri eorum & gladij de coſtis piſcium fabricatis his Idolorum formis carere ſanum religioſumque crederet.

Quis ergò non divinam magnificet miſericordiam in converſione ad Chriſtum tantorum gentium & Inſularum magnitudine? quarum Deus convertit captivitatem à fœdiſsimorum iſtorum Idolorum cultu in libertatem fidei Chriſtianæ. In conſpectu gentium revelavit miſericordiam ſuam Deus, per ſervos ſuos, qui deſcenderunt mare in navigationibus facientes operationem in aquis multis: Ipſi viderunt opem Domini & mirabilia ejus in profundo. Confiteantur tibi populi Deus, cõfiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum.

Inſulas verò & has Regiones adeò fertiles auro, & gemmis, alimẽtis, aromatibus, præcioſiſſimisque rebus ajunt, vt ſola Spagnola de qua hactenus locuti ſumus, quotannis quadringentorum millium aureorũ Caſtellanorum ad fiſcum Regis Catholici in Hiſpaniam deportentur. Sunt enim huic Inſulæ officinæ monetariæ ac docimaſtes quamplurimi mineralium. Hæc Inſula centuplum reddit ſeminatum triticum, gignit

etiam Casiam Costum, aloem, masticen, Zingiber & Cinnamomum, habetque piscaturam vnionum sive perlarum locupletissimam: invenereque sæpius in vna Concha centum triginta Margaritas. Illud verò ridiculum & inauditum incredibileque relatu conspicitur, nimirum de pisce quodam familiari huic Insulæ ac Cubæ maritimo; quem Piscatores ad comprehendendum majores margaritas delicatioresque pisciculos, vt nostri Europæi suis canibus & falconibus in aucupijs & venationibus ad prædam venatoriam venatores vtuntur. Hic anguillæ ferè similis est nisi quod magnitudine insolita, & branchijs discrepet, magnamque crumenam canneam in capite ex membranis habeat; in qua sibi cibum & prædam nactam recondere solet: Hunc piscem Vrinatores & Piscatores penes lembum sive Cimbam suam, quas Canoas vocant funiculo è palmarum folijs, concinnato ducunt, marinum itaque littus Piscatores piscem circum ducunt. Cum ergò Ostreas perlatas, vel inusitatum quoddam pisciculi genus conspicatur, quod Regijs tantum mensis apud istos Insulanos apponi consuevit, subitò fundum hic piscis petit & aut Ostream prægrandem, aut pisciculum illum rarum & insolitum in crumenam suam recondit: è fundo igitur piscem & aqua in aërem funibus trahunt. Dum ergò aërem quem ferre non potest persentit, subitò crumenam relaxat, & prædam ejicit. Mox itaque Piscatores in mare se jaciunt antequam fundum appetant, Ostreas & pisciculos suis instrumentis captant; mari etenim profundiori se concredere non audent Piscatores Insulani vbi majores margaritæ in conchis delitescunt; ne à belluis marinis vti sæpius factum est, dilacerentur.

De hoc vel alio pisce quidam sic puto loquitur: Est piscis novi Orbis non multò longior hominis vlna. Hunc à parvulo domi marinis aquis oppleto vase alunt, fitque adeo cicur vt & tractari palparique gaudeat. Audax animal est; ideoque excelso animo, vt in eo vigere putes aliquod rationis vestigium. Fit egregius piscium in mari ad Domini sui commodum venator. Funiculis enim retis modo obvolvitur, ne in mare missus dispereat, deinde prælongo alligatus fune, perinde ac canis per mare hac atque illac vagatur, obvium quemque quamvis maximum piscem testudinemque aggressus, latera primum morsu vulnerat, neque prius prædam deserit, quàm mordicus tenet, quam fune vterque ad littus trahatur aut in navigium. Compendio igitur horum admirabilium piscium, magis suam Insulani securè margaritarum piscationem instituunt. Altera ratio cur hæ majores margaritæ tantò sint in precio est, quia piscatores de nocte has capere debent; quoniam verò mare illud plurimis marinis belluis abundat, Ostreis enim ad devorandum insidiantur, eaque monstra nonnunquam in terram vt Phocarum vituli marini assolent viridantia prata depasturi è Pelago egrediuntur; statim si quos Piscatores reperiunt, vt Crocodili in ripa Nili fluminis devorant atque dilacerant. De magnitudine verò margaritarum dicere aliquibus incredibile videbitur, ancyli enim vel scuto majores conchas inveniunt, in quibus nucum myristicarum majores reperiunt vniones. Vidi ego dum

Oviedo hist. lib. 13. cap. 10. p. Martyr in § c. 8.

in

in aula Græcensi versarer hujusmodi margaritam à Serenissima Margaretha Regina Hispaniarum Seneriſſimæ Matri Bavariæ & Archiducis Austriæ transmissam, quæ auro inclusa fuit Christallinoque tabernaculo applicata, in quo venerabiles reliquiæ asservabantur; spina nimirum de spinea corona CHRISTI Salvatoris, plus quam septem millibus florenorum æstimatam. Has proinde Christus Dominus thesauro regni cœlorum comparare dignatus est. *Mátth. 13.* Sed vlterius audi de progenitura margaritarum oculatos testes Ovetanum Historia 19. cap. 8. Ælianum libro 14. cap. 8. oriuntur plurimis modis ajunt vniones. Quandoque ex Ostreis prodire comperti sunt, ad gallinarum ovi magnitudinem; emptamque vnam hujusmodi margaritam à quodam Hispano 2670. ducatis, Petrus Martyr in sua summa scribit. Quandoque verò ex piscatione vniones quærentur ciceris magnitudine: magna copia & in fluminis ripis, & in foraminibus petrarum comperti sunt, pellucidi. Ibi igitur quomodo exorti, an ex animantis cujuspiam portu adhuc incognitum.

Comprehenduntur quoque vniones retibus, conchæ magnorum turbinum similitudinem gerentes, gregatim natant; Et quemadmodũ examina duces, sic illæ Regem habent, tum formæ pulchritudine, tum magnitudine præstantem. Summa autem contentione Vrinatores ideò certant ad capiendum gregis ducem, quod eo capto, cunctum gregem rectore orbatum non loco se moventem assequuntur. Quam diu Rex fugiendo elabi potest sapienter eas regit, atq; captivitatis periculis eripit. Margaritarum precium his præcipuè Plinius ait consistere. In candore, orbe, sive circulari figura, magnitudine, lænore, & pondere: sunt enim ꝟsus Occidentem novi Orbis Americam præ Indiæ Orientalis margaritę multò graviores, præcipuè excellentissimè inveniuntur penes promontoriũ *el Cabo, de la Vela*, dictum Hispanis, & Insulam Gnadalupeam, ob montana cacumina montis Serrati, in Catalognia speciẽ referens, quam Abbadia & Monasterio B.S.V. Mariæ Illustrissimus Patriarcha Buellius novi Orbis Apostolus decoravit. Dum in his Conchis margaritæ adhuc insunt molles vt gallinarum ova recenter enixa reperiuntur, extra mare posiri indurantur. Affirmat præterea Petrus Martyr: Tanta est inquit in *Petr. Martyr. Decad. lib. 10.* his Insulis abundantia margaritiferarum concharum; vt quo tẽpore genitalis eos calor agitat, è mari profundo littora adnatant, & egesta arena in profundam scrobem, quam ipsimet fabricant, vnicaque concha ducenta aut quingenta ova pariat. Deinde cum calor cœlestis ea vegetaverit, aliquot myriades vna vice circa littora loricati & scutati instar exercitus, exurgere Ostreas visum est. Hanc verò experientiam & historiam de vniferis Conchis, contra Aristotelis librum esse quingentorum talentorum, quem de animalibus ALEXANDRO Magno inscripsit, certum est; quas è putri materia vt plantas aqueas inde prodire & excrescere, autumat. Sunt præterea margaritæ perlatæ nostrarum Europæarum virginum & sponsarum, ad coronas in capite concinnandas ornamenta; puritatis & virginitatis indices; licet modò meretrices etiam

gestent, vt olim CLEOPATRA; quæ margaritas duas in aures habuit, easque Plinius plus quam duodecies centenis millibus æstimavit sestertijs, quas artificio maceratas prius, in convivio devorandas præbuit suo impuro Amasio Antonio. Tertia ratio est tantum margaritarum precium, quia salutiferum est, antidotum, accordis, Epatis cerebri, vitaliumque spirituum conservatio & instauratio.

Vidi ego confectionem margaritarum in Reverendissimi Domini Abbatis mei distillatorio præstantissimam: quod secretum gratis hic de licentia Reverendissimi Domini Abbatis bono lectori propter infirmos communico, quia commune bonum est, Et ne Myropole defraudare vlterius possint patientes, præcipuè ægentes suis minus aptis præparationibus. Recipe margaritarum partem vnam, & duas partes spiritus salis communis, affunde salis oleum vel hujus spiritum, perlis in Botiam prius impositis: applica alembicum nasutum, ac leniter per distillationē in cineribus oleum salis, non tamen ad siccitatem vsque abstrahe, & remanebit in fundo glarea perlata, quam aqua rosarum eluito, vel alia dulci clara communi vt sapor spiritus salis abeat, postea hunc cremorem vel liquorem perlarum, cum aqua bugloſſæ, boraginis, cinnamomi, vel alijs appropriatis ad morbum pellendum, vel corporis ejusque principum partium sanitatem confortandam & conservandam potandum exhibito. Post auri resolutionem excoctionemque magistris Spagiricis notam, non melior in mundo cum tinctura Corallorum, de quibus infra, debili naturæ supereſt præsidium. Et quia in gradu animalium hæc sunt conchilia perlata, ideò in alimentum transmutari vna cum sua, medica virtute possunt; quod in metallicis, ac quibusdam mineralibus secus accidit. His enim non est propertio aliti cum alimento, & operantur per infusas à prima mixtione suorum elementorum causas virtualiter tantum, sanitatem conferentes absque nutritione. Et nota magnum secretum, nimirum quod ipsa Conchilia perlata eandem habeant virtutem cum earum fructibus margaritarum; sed paulò debiliorem, quod est pro minus opulentis miropolis, & pauperibus infirmis notandum; Conchilia enim viliori precio haberi possunt quam margaritæ.

Est etiam in hac Insula Spagnola aurifodina Cibava nomine, vbi passim in fluviolis, qui de illis cavernis egrediuntur superficialiter inter arenas & saxa magni ponderis particulæ, & globi aurei cum arena, concreti inveniuntur. Hujusmodi massa semel reperta est, tribus millibus trecentis & amplius aureorum Castellanorum æstimatum; quæ aurea massa Reginæ Catholicæ Arragonum & Castellæ Elisabethæ in Hispaniam à Bouadilio istius Insulæ Prætore vel Gubernatore transmissa est. De fertilitate frugum hujus Insularis Regionis aliquid dicere incredibile quibusdam videbitur; nimirum tritici postquam ab Europa nostra semina quibus antea carebat Regio illa, illuc importata & seminata sunt; Culmum superare brachij virilis crassitudinem; Spicam verò duplici spithama longiorem, granaque in se continere ad duo millia & amplius. Vinum quoque prætiosissimum modo Americanæ Insulæ producunt,

Bananas siue Ananas fructus Indicus occidentalis.

Papas Indorum germen, radix, caudex, et fructus.

Radix castanea quam Indiani Iuucas siue Ages nominant.

cunt, cujus botri è palmitibus longi trium pedum è vite propendent, grandibus uvis instar nucum germanicorum oppleti. Hortensia verò sattiva, vt sunt Nasturcij, Raphani, Carotæ, id est rapæ rubræ; omnis generis Siser & Pastinachi, Buglossum, Borago, Petrosilinum ac reliquæ ad vsum culinarium radices, hominis benè obæsi pedem in crassitiè adæquant. Spinacium olus, cum reliquis commestibilibus herbulis intra sexdecimum diem: Pepones verò & melones cucumeresque dulcissimos qui toto anno ibi maturi habentur singulis mensibus intra trigesimum diem coalescere & matureſcere, magnitudinis ingentis, vtpote vnius venæ vel amphoræ vini excrescere visum & expertum est. Cæpæ albæ quam rubeæ, item Scolymi sive Archichiochi pullulascere compertum est in latitudinem rotundam pedum vnius & medij: Cardui folia aculeata mille & amplius continebant: His ergò frugibus Europicis mirificè in America melioratis, Hispani delectantur. Easque verubus ligneis odoriferis infixis, saccaro & sale ad vsum commestionis condiũt, & manducant, postpositis carnibus, ideò à germanis illorum Idioma callentes perludibrium, *Concilon los Raizes*, id est, devoratores radicum: Würtzenbeisser/ Würtzenfresser/ Hispani appellantur.

Sed alijs insuper radicibus optimis aromaticis & comestibilibus Insulares isti abundant, de quibus sibi panem & potum conficiunt. Præcipuò in vsu habent Bananas, cujus formam cum reliquis hic in figura apposui: deinde Iuccas, sive Ages habentium saporem instar castanearum; postea Opanavuck Indi sic vocant, Hispani verò Papas, sive Bacaras Indicum; qui fructus est dulcis instar amigdalarum albus & solidus. Istius copiam jam habet meus Rev. D. Abbas in horto nostri monasterij, sibi allatum, ab Antverpia per hortulanũ Belgam. Est verò Planta excrescens in altitudinem è terra duorum cubitorũ & amplius, albi purpureos flores deferens, qui postea in poma minutissimis seminibus oppleta matureſcunt aciduli saporis. Radix verò latè infra terram multis ramis diffunditur, ex quâ multi globi instar magnarum castanearũ pullulant, & istorum vsus est ad cibum lautissimus si prius hoc modo paraveris. Has Rapas sive Papas elixa in aqua communi, vel assa papyro involutas in cineribus, donec molleſcant cutem rubri coloris detrahe: mundato, eluendo pulpam albissimam, contunde, saccarum huic aquamq́; roseaceam & cinnamomi species parumper commisce, butirum adde; assato & habes tortam si farinæ incluseris aut apophoretum Regij Saporis. Salatam ex his sic conficies. Sume has Bacaras sive Papas mundas & mallefactas in rotulas scinde, adde oleum, acetum, piper, sal, vel saccarum: & gusta. Vel si vis macros homines, aut Phtisicos curare, & impinguare; has Papas coque mundatas cum carnibus caponum vel gallinarum aut arietenis, cujus succus brodiumq́, vtilissimum ac salutare præstat alimentum.

Herbis medicinalibus & Balsamiticis quoque frequens est hæc Regio; quibus simplicibus præclarè sine alterius ope nonnunquam sanare suos ægrotos possent; ni à stultis sacrilegisq́; hominibus, quos illi vt Prophetas colunt (Boicios ajunt) deciperentur: Hi enim populum in poli-

ticis instruere, tempora discernere, & agros colendi rationem indicare, patriosq; ritus & sacra, Religionemque cum medica facultate providere & procurare dicuntur. Cum ergò de hac gente aliquis æger est, continuò Boicium advocat, qui se omnem infirmitatem depellere posse Zemium auxilio, ac secreto quodam murmure precationis habito cum Zemibus, apud infirmum jactitat. Priusquam verò Boicius ægrotum accedit, Idolum Zemis consulit. Vtrum patiens hic quem curare suscepit, curabilis sit nec ne, proinde multos ita miserè ob mendacium Dæmonis mortuos esse cognitum est, dum remedia naturalia quibus abundant Insulares isti saluberrimis ob suas superstitiones & fraudes Boiciorum adhibere negligunt. Si verò curabilem Zemes ægrum affirmat, continuò advolat Boicius, se ægrum simulat, & patientis morbum in se recipere mentitur, & quod ægro medicamentum exhibere debuisset ipse Boicius sumit; aluum laxat, dietam instituit, ac gemebundus quasi dolores persentiscere tristis sedet, & nonnunquam curuè inclinatusque deambulat.

Hac ergò ratione si infirmus adhuc non convalescit, Boicius patienti persuadet, vt particulam malæ affectæ carnis, quam in corpore ægrum habere, ac omnis contagionis & tabis causam esse mentitur, sibi dentibus avellere infirmus patiatur; hanc solam & vnicam adhuc illius ægritudinis causam remanere: quasi si eam sustulerit, carnis particulam, cõtinuò sanum fore & convaliturum affirmat. Patientis ergò consensu famelicus Boicius accedit, & de corpore illius quocũq; loco ipsi lubet planè caninis dentibus frustum avellit, mox extra domum currens in locum obscurũ abscondit: Interea ægrum vociferantem præ dolore iterum reversus Boicius novis ceremonijs salutat, humanissimeq; consolatur, multis rationibus vt nostri Europici Galenistæ instituere consilium assolent, persuadet ac docet, hanc carnis particulam fuisse morbi causam, & ideò convaliturí corporis dolorem modo persentiscere, eumq; propediem integrè sanum fore promittit. Contrarium verò vt sæpè factum si accidat, Augurem ac Medicum Boicium amici patientis objurgant, quod nimis exiguam particulam carnis de corpore decumbentis præmomorderit, negligentiorque fuerit, in suis exonerandis intestinis, ac sumendis potionibus, hæc & similia plura objicientes Boicio, minantur capitis reum esse nempè quod amicum suum charum, arte & industria bellicaque fortitudine præstantem, suis Sirupis perdiderit & occiderit.

Canibales, de quibus superius dictum, eundem ferè modum habent curationis, nisi quod hi Boicij cum suis Zemibus; illorum Carraibes cum sua Maraca peragunt. Canibales verò si eorum Medicus suos patientes de sanitate fefellerit, dentibus eum vt ille priòs ægrum vivum dilaniant. Alij verò Maraca suis Medicis abripiunt, ejusque caput tam diu diverberant, donec expiret: deinde coquunt ac devorant.

Hispani talem Boicium Cacomedicum semel vivum lento igne exurebant, vt secretum medicum ab illo extorquerent; quia habebat ille Boicius notitiã cujusdam radicis, quæ cum si liquore aliquo per aliquot horas

horas diluebatur, vel in pulverem redacta certa dosi propinabatur patientibus, sanguinem verissimum, præcipuè serosum, ac noxium exsudare hominem fecit, adeoque sanum corpus ab intercutaneis pravis impurissimisque humoribus mundavit, vt omni auro potabili hæc radix, vnionum, gemmarumque tincturis ab Bezoardicis confectionibus, ipsisque Galenistarum in Europa magistralibus sirupis, pillulisq; præciosior præstantiorque haberetur. Neque verò tantopere admirandum est, hanc radicẽ serosum sanguinem è cute expellere, cum in Chronica Regum Peruanorum legamus Yaguarguamque sanguinem fleviſſe, cum hic Rex magnanimus à suis inimicis in prælio victus, & captus fuisset. Iste verò Boicius tantæ invidiæ fuit ac odio in Hispanos incensus, vt antequã hoc secretum proderet, se potiùs vivum cremari passus sit. Quod cum ad Regis Hispaniarum notitiam venit; Rex valdè Gubernatori succensuit, de istius Indi interitu, & in hunc vsque diem de illa radice ex Imperio Catholicæ Regiæ Majestatis per Medicos Hispanos, ac Indiæ Prætores inquiritur, sed nondum quantum scio inventa est.

His Hayti ac Spagnolæ populis vicina est Insula, quam Cubam Indi vocant. Hispani verò Ferdinandi sive Isabellam à Regibus Catholicis tunc temporis Hispaniæ imperantibus appellant. Hanc mediam vt Myritius ait, ab Oriente in Occidentem attingit tropicus cancri. Est autem hæc Insula ingentis magnitudinis, adeò vt eam Admiraldus Columbus circumfretare volens, in septem diebus nequiverit: cum alias naves ad navigandum instructæ, plenis velis fluctuum favente fortuna, aurisque secundioribus intra viginti quatuor horas centum communia milliaria Germanica conficere dicuntur. Multis ergò centenis milliaribus emensis retrocessit, ad socios; ac huic navigationi nomen septingentarum Insularum dedit, quamvis vltra tria millia se vidisse autumabat. Neque hoc mirum alicui videri debet cum cum in Archipelago Orientali propè Regnum Zipangri 7448. Insulæ è mari prominere à nautis repertum sit. Gulielmus verò Janſonius in vniversali sua terræ Geographia, Maldiviæ Insulas innumerabiles ajt, plures enim quam vndecim mille asserit nucibus quas Indi Coccos dicunt abundantes. Ex quibus saporitos Marsapaines conficiunt.

Distat autem hæc Insula Cuba à Spagnola septuaginta milliaribus, atque illustri civitate Isabella & fortalitio Divi Thomæ est munita. Expeditis itaque Lembis tutam stationem cum plumbo vrinatorio grandioribus navibus explorare Nautis imperat: qua inventa Insulam cum socijs ingressus Admiraldus, Incolas humani satis ingenij expertus est, auro abundant, fluminibusque irrigua, quæ magis auro quam piscibus scatent, ac inde cum retibus piscatores piscantur, magnas auri glebas, granaque ovi gallinacei magnitudinem excedentes apprehendunt, ac proinde ibi non piscium sed auri potiùs piscatio instituitur, præcipuè si pluvia flumen copiosius auxerit, ac rivi ex montium cavernis effluentes, intumuerint. Ferro hæc Insula caret, cujus vicem lapis pellucidus quidam ad sectilia opera aptissimus supplet. Illud verò admirabilissimum

est,

est; in hac enim Insula vorago quædam ingens, monticus inclusa invenitur, plena globis lapideis politissimis à natura ac nullo artificio præparatis, ijsque rotundissimis, quos nostri Europici artifices & lapicidæ summo artificio pro grandioribus alijsque elaborare solent tormentis.

Frugibus varijs dulcissimisq; ac balsamiticis arboribus est florentissima, Rubiæ tinctorum granorum magnam copiam profert. Serpentes viginti septem cubitorum in crassitudine quinque aut sex palmorum, innocuos ac esu suaves in stagnis producit; ac Crocodilos quoque comestibiles, qui prata viridantia pascendi gratia irrepiunt, nec homines formidant, alit. Gens ista Idolorum sacrificijs veneficijsque ac alijs superstitionum lasciviæque sceleribus contaminatissima fuit; à quibus abominationibus Dei gratia adjuvante, Religiosissimi Monachi ex Ordine S. Benedicti salutiferis admonitionibus, & cathegisationibus magnisque laboribus ad sanctum Baptisma suscipiendum aptos & habiles reddebant & informabant. Supra modum enim hi populi Americani flagitijs immunditijsq; contra naturam carnalibus dediti fuerant, vt nonnunquam tum sanitatis, quam vitæ periculo, ob contagiosos halitus, in conversationibus hominum istorum susceptis, Fratres nostri de sanitate & vita periclitarentur. Sancitis ergò pacis fœderibus, Admiraldus cum Hispano milite Insulæ Cubanæ dominio potitus est, egregiasque civitates cum fortissimis Castellis excitavit, munivit, instruxit. Emporiaque penes littora maris dispositi mercimonijs ac portorio amplissima. Illustrissimus Patriarcha Buellius cum Ordinis S. Benedicti Monachis opus salutis harum gentium etiam prædicare minimè neglexerunt, sed enarraverunt, prædicaveruntque salutare Dei in medio Ecclesiæ, Americanorum populorum, vt converterentur ad Christum Dominum Deum nostrum vniversi fines terræ Indorum; Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentibus: Erecto insuper insignis magnitudinis crucis trophæo, vti in Hispagnola ac alijs Insulis jam prius fecerat, omnibus infidelibus salutare vexillum Christi conspicuum in hac Cubana Insula reddidit. Idolorum aras, fanaque disjecit, & succendit, dæmonumq; Lararia, frustra licet infremerent disturbavit. Oratoria, Monasteria, Ecclesiasque ædificavit, fundavit, exornavit. Ait enim Franciscus Lopez c. 34: *que sanaron muchos enfermos con el palo ij devotion de vna Cruz, que puso Christoval Colon la segunda vez, que passo en la Vega que llamaron por esso dela vera Cruz, cujo palo tomavan por reliquias.* Id est: Sanabant multos infirmos per devotionem cum quodam ligno S. Crucis quam posuit (vt quidam ajt in oppido S. Iacobi de planicie vulgò de la Vega) Christophorus Columbus, secunda vice cum vegam versus viam instituere. Et eam crucem in honore habent & amant Insulani ab eaq; reliquias tollentes quasi vera esset illa Hierosolimitana Christi Domini.

Hic præterea silendum non est, quid de cruce hac in Spagnolla erecta miraculosè contigerit: Nostris enim hominibus longius ad interiora Insulæ recedentibus: Ecce tibi de repente maligni Apostatæ fœdissimi Cacodæmones, vim sanctissimæ Crucis persentientes, & expelli se

se hinc atrociter ferentes, suis Cultoribus Idololatris inspirabat, S. Crucem positam, vt ad terram dejcerent, aut flammis exurent; Continuò vltra sexcenti Barbari concurrunt, machinis suis instructi, solo tenus hoc S. Crucis lignum deturbare conantur. Nihil verò proficere valentes (divina enim virtute prohibiti erant) ad alia malitiosa accinguntur. Ingentẽ enim subitò pyram comportant, incenderunt inflammantque, sperantes se in favillam hanc S. Crucem redacturos. Sed Christo Domino renitente inanes illorum conatus & irritos fecit. Nam ignis vim suam non exseruit sed illibatum à depascente flamma hoc sacrum lignum Crucis reliquit. Insuper vt quidam fide dignissimi retulerũt, pulcherrima quædam Virgo, incredibilibus circundata fulgoribus, vultu subirato Indis præfatis dum ista Satanico furore perpetrarent, apparuit: quare mirum in modum exterriti maximo cum timore & clamore in sylvas auffugerunt. Hanc verò non aliam fuisse quam Cœli Reginam, inter omnes nationes & generationes Benedictam Christi Dei Matrem Virginem Mariam, autumnandum est.

Sæpius enim deinceps illis in Regionibus mirabilia gratiæ opera fidelibus & infidelibus exhibuit: vti videre est in Insulis S. Mariæ Hispanis dictæ de los Remedios, propè Cozumellam, sive S. Ioannis Insulam à latere consitis intra tropicum Cancri & æquatorem; Hispani Cabo de los S. Maria nominant. Et quidem jam dudum illæ gentes quædam symbolica præludia de hac sacrosancta Dei Genetrice Maria & filio suo semper benedicto Iesu Christo, Deo Salvatore nostro habere, vt jam supra memini & apertè Petrus Martyr Hispanus in sua Historia novi Orbis recitat, vbi in Guadalupea Insula mirabile, coli solitos fuisse hos barbaros Americanos intemeratæ S. Virginis Mariæ simulachrum scribit. Hoc ergò solenni facto miraculo, causa existit, vt in posterũ hæc S. Crux à Christi fidelibus maximo in precio & honore, etiam ab ipsis barbaris in Americana Ecclesia haberetur, illiusque venerabilis ligni in diversas & Regionum ac Insularum terras expeti particulæ inceperint, & à populis exportari.

Neque immeritò hujus S. Crucis à Buellio Patriarcha nostro Christo dedicata, deinceps reverentia crevit & incrementum sumpsit. Nam ad ejus tactum concomitante fide in Christum plurimos languoribus incurabilibus oppressos convaluisse, ac innumeros dæmoniacos energuminosque hujus S. Ligni virtute liberatos & sanatos expertũ est. Adeoque frequentia miraculorum percrebuit, vt in qua posita & erecta hæc S. Crux fuit Insula, S. Crucis Insula vocitaretur. Vnde procul Fr. Gonzagæ fabulamentum reijciendum est, qui ambitiosè nimis in Iconibus Provinciarum Franciscanorum suis hominibus hoc positum à Monachis Ordinis S. Benedicti S. Crucis trophæum in Insulis Americanis aut novi Orbis affingit, quòd tamen Buellium Patriarcham nostrum erexisse audiviſti. F. Buellium enim secunda navigatione anno 1493. cum Christophoro Columbo in Spagnolam navigasse demonstravimus supra. Et ex officio *Vicariatus Pontificij* hæc Religionis signa adornare debuisse,

buisse, quis est tam fatuus vt controvertat, Politicoque potius adscribat Magistratui ac Capitaneo.

Nam diu post Ordinis S. Benedicti Monachos Franciscani Americam accesserunt, vti patet ex Bulla data per Adrianum Papam sextum Anno salutis humanæ 1522. Bulla verò Apostolici gradus & officij data est Ord. S. Benedicti Monachis super dirigendas & construendas Indiæ Occidentalis Ecclesias ab Alexandro Papa sexto Anno Domini 1493. vt superius ex Bulla, & cum Doctissimo D. Genebrardo, multiplicibusque locupletissimis testibus demonstratum est. Huic enim Buellio soli & suis ex officio competebat designare per S. Crucis signum loca Ecclesiarum: vtpote SS. Petri & Pauli à S. sede Romana delegato plenipotentique super Indorum novi Orbis Ecclesias Vicario. Quemadmodũ jam superius ex Fernando Gonsalvo Ovetensi clarissimo & oculato testimonio; qui Fernandus tunc Romæ cum Hispaniæ Legatis adfuerat, legisti, fuisse nimirùm constitutum & esse Illustrissimum & Reverendissimum Buellium *Capo de gli alteri Ghierici & Religiosi al colto divino & alla conversione di questi Indiani, que no iva por Arcobispado ij Obispado enel Mũdo Nuevo; muij iva por Vicario del Papa.* Id est: Qui Buellius non pro Archiepiscopo nec Episcopo ad illas novi Orbis Gentes dimissus est. Sed pro ipso Vicario Domini Papæ, huic Ovetensi consentit Franciscus Lopez, c. 48. & ca. 20. sic dicens: *Los Reies Catolicos Don Ferdinando ij Donna Isabela conforme ala voluntad ij mandamiento de su sanctidat, ij assa mandaron à Ioann Rodriguez de Fonseca, Dean de Sevilla. Buscaron doce Clerigos de scientia ij concientia para que predicassen ij convertiessen junta mente con Fraij Buill Catalon, de la Orden de S. Benito que iva por Vicario del Papa con Breve Apostolico.* Id est: Reges Catholici Dominus Ferdinandus & Domina Isabella suæ sanctitati voluntatique se conformantes, Ioanni Roderico Fonsecæ Decano Sevilienſi mandabant, vt doctos & conscientiosos Clericos inquireret, qui & prædicare & converterè adjuvarent, vna cum Fratre Buellio Ordinis S. Benedicti monacho gentes Americanas: qui F. Buellius ibat ad Indos cum Breve Apostolico pro *Vicario* ipsius Domini PAPÆ. Item vlterius idem autor Franciscus Lopez cap. 34. 35. 66. scribit: Fratrem Buellium Ordinis S. Benedicti monachum & doctos Clericos Indianorum populorum Americanorum conversionem incepisse & continuasse. Fuitque primus Episcopus de la Vega Petrus Xuarez de Deca. Cui successit Alexander Geraldinus Romanus, Garzias de Podilla, Alphonsus de Fuen, Ioannes Cabedus primus Episcopus de la Antigua, Darien ac terræ firmæ in novo Orbe. Qui omnes à fratre & Monacho Ordinis S. Benedicti Buellio, vtpote Patriarcha, ac novi Orbis summi Pontificis Romani & Papæ *Vicario* in Episcopos ordinati & consecrati sunt. Ex quibus etiam redarguas erroris necesse est, ipsum Ioannem Maijer Frisingensem in Epitomis Chronicorum fol. 76. & 77. & Ioannem Metellum cum suo Cabedo Darienſi Episcopo; & alios qui sibi præmaturos honoris Apostolici in Orbe novo fructus applicare videntur, ac primam columnam fidei Christianæ apud illas Americanas gentes alios quam

Ordinis

10.

Ordinis S. Benedicti Monachos posuisse nugantur & blaterant. Quod quam contrarium sit, oculatorum testium autoritatibus ac præstantissimorum virorum fidelissimis scriptis satis puto intellexisti & vidisti. Ferdinandum enim Cortesium Anno salutis 1521. Mexicam & Themixtitã navigasse patet, cum Columbus Admiraldus jam pridem in fata mortalia concesserit, nempè Anno salutis 1506. in Hispania: quo vocatus à Rege, causam suam iniquè accusatus defendit. Qua ratione ergò combinat Franciscanos cum Columbo Themixtitam & Mexinũ navigasse F. Gonzaga? eosque ibidem Vicariatus Apostolici exercuisse officium. De quibus vide Ioannis Myritij Cosmographiam fol. 120. & mundi Theatrum titulo de Cosmographia fol. 266. 267. & Franciscum Lopez in sua generali Indiarum Historia capitibus supracitatis. Quam ineptè igitur cum plerisque alijs Fr. Gonzaga ista eructet clarum est, qui etiam in Provincia Latij sive Romana egregie: M. cum de Capitolio quam nunc Aram Cœli vocant Ecclesiam, & Monasterium olim illustre Monachorum S. Benedicti hos ibi expulsos ait, cum sponte & in gratiam hujus tunc recentis Ordinis pauperculis Fratribus locum cesserit, V. Conventus & Abbas & quidem ad intercessionem Eugenij quarti Romani Pontificis; vt ibi olim vbi nempè totius Romani Imperij Majestas, divitiæ, & potestas residere videbatur, ij modo inter Christianos locarentur, & spiritualiter regnarent, quos vera mentis & non vestimentis humilis Christi paupertas decorare videbatur, S. Francisci Fratres: Et miror certè, cur non & ab Ecclesia Angelorum sive de portiuncula Benedictinos expulsos Gonzaga commentetur, quam primam Ecclesiam suo Ordini donavit Franciscano, Abbas & Conventus Cassinensis. Cui quotannis audio in recognitionem gratitudinis, sagenam plenam pisciculorum à Guardinano illius Monasterij Angelorum offerri consueverat. Quos ipsi Fratres piscari debent pisciculos ex fluviolo qui penes illorum monasterium ac territorium præterfluit.

Nunc verò quoniam de piscibus mentionem fecimus, aliam tibi narrabimus incredibilem, sed tamen verisimam Historiam: Rex quidã hujus Insulæ Cubæ Balenam sive piscem grandem marinum habuit, nomine Manatem. Hic piscis est capite bubulo barbatoque, parvis oculis, duroque supra modum Corio eoque paullum hirsuto, longus est pedes viginti, crassus decem; pedibus rotundis, & in quatuor vngues Elephantorum more dissectis. Femellæ vti vaccæ pariunt, & fætus lacte alunt.

Hunc piscem Marinum Regij Piscatores nacti fortuito, parvum & ephæbum adhuc dono Regi suo vt rarum quid obtulerunt. Habuit verò Rex lacum satis amplum è marinis aquis concinnatum propè littus saxosum inclusum, huic supradictum piscem imposuit, eumque quotidie in propria persona Rex è patrio pane, Iuuccam vocant, pascebat & enutriverat, donec in ingens monstrum vt supra dictum excresceret. Et quotiescunq; illum Rex cibaret, patria voce Machatem sive Manatem quod Americè generosum sonat, ad se è longiori disitum spacio lacus vocabat:

ad cujus ſonitum vocis Regiæ ſtatim adnatabat, è manibus projectum panem, in aquas devorabat. Ex hoc piſcis iſte impoſterum adeò cicur, familiaris, humanus, & manſuetus reddebatur, vt Regi ſe in illo ſtagno balneanti, vel natanti cum ſuis Proceribus ipſe colluderet. Inſuper ſupra dorſum ipſum Regem & aliquot Proceres ſedere permiſit, & ad ictum vnius ſagittæ procul natando circa ſtagnum vehebat. Quem piſcem cum aliquando puer Hiſpanus quidam ludibrij cauſa ſagitta non aculeata petiſſet, hujus veſtiti hominis Hiſpani injuriam adeò piſcis atrociter moleſteque tulit, vt deinceps licet à Rege vocatus ad prandium minimè cõpareret, aut accederet, ſi quempiam ex Hiſpanis veſtitum penes Regem ſtare conſpexiſſet.

Eſt & alia Inſula penes Cubam ſatis prægrandis, nimirum 190. milliarium, ſed auſtralior, Oriſtam ſive Iamaicam eam dicunt: Hanc ingreſſus Admiraldus Columbus, magnum pavorẽ huic genti incuſsit, & licet aliâs ſint bellicoſiſſimi Viri Oriſtani, modo tamen antea nunquam viſos homines hujuſmodi armatos & famam Hiſpanorum bello partã, ad interiora tutioraq; loca ſe receperunt, aliquibus ergò diebus noſtris ad littora hujus Inſulæ in anchoris hærentibus, Illuſtriſſimus Patriarcha Buellius, cum ſuis Ordinis S. Benedicti Monachis quoq; Inſulam intravit: Et quia dies feſtivus requirebat, Monachis aram de viridibus ramis & alijs ad ſacrum Miſſæ officiũ neceſſarijs paramentis inſtruere præcepit. Omnibus ergò magna animi pietate, & voluptate huic S. Miſſæ officio intentis, mirum enim in modum conſolabantur per hoc in ſuis laboribus perferendis, quod divinum cultum Chriſtianum, in alio quaſi mundo, nimirum à ſua terra Patria tam procul diſſiti, celebrari, verumq; Deum Dominum Chriſtum laudari & glorificari à barbaris etiam hominibus inſpicerent. Cum ergò noſtri ſacra facerent, precibusq; Deum placarent, ecce vir Princeps quidam, cui fama de noſtrorum adventu nunciavit. prudentia, tum ætate venerãdus, ſocijs comitatus accedebat. Nudi verò toti præter genitalia pſyttacorum plumis obvelata prodibant; de patrijs hujus Inſulæ melioribus fructibus in Calathis ſive Caniſtris dona ferentes. Homines enim Hiſpanos Canibalium mores ritusque habere æſtimabant, quorum finis huc adventandi non alius eſſet: quam ſceleratorum crudeliſſimorumq; Canibalium; nempè vt debellatis Inſularibus Iamaicis, homines ad devorandum, & ſanguinolentam macelli ſervitutem jugularẽt, ac diriperent: quæ ratio fuerat, vt ſuperius dictum, in primo ad has Inſulas Hiſpanorum adventu, vt ſe illis apponerent, ac è Patria terra procul ſuis armis arcere Hiſpanos attentarent. Cum verò Chriſtianorum humanitatem, & Admiraldi mitem animum, beneficentiam, ac benignitatem, in Spagnola ac Cuba, alijsque Inſularibus deprædicare hi Oriſtani audiſſent: fideles jungere dexteras, varij & miri coloris aves *Rabos ferrados* Hiſpani vocant, cum palumbis Europicis noſtris grandioribus attulere, quas cum Hiſpani aſſas guſtarent, aromaticum ſe ſaporem & odorẽ ſentire faſſi ſunt: guttura ſiquidem iſtarum Columbarum cum eviſcerarent

rarentur, plena erant floribus, herbis, seminibusque aromaticis, quibus specijs ac plantis miristitis, expertum est per digestionem huiusmodi odoriferi alimenti, carnes animaliũ hujus terræ esse, & reddi suavissimas. Ab Hispanis quoque narratum est, priusquam hanc Insulam Navibus appellerent odorem suavisimum ad quatuor levcas, ab hac Insula in mare ad naves per aërem delatum percepisse. Alij verò de radicibus Cassanijs panes paratos obtulere. Alij pisces, quibus mare illud abundat, Corettes, & Bonites dictos delicatisimos porrigebant. Vir igitur Princeps, de quo supra ætate venerandus cæteriq; sui Comites Iamaicenses toto illo tempore quo sacrum à Religiosis Ord. S. Benedicti Sacerdotibus ac Monachis fiebat, tanta modestia corporis, sensuumque exteriorum, ore, ac oculis intenti, defixi, immotique stabant; vt statuas non vivos homines esse crederes. Sacris deinceps ceremonijs officioque finitis: Illustrisimo Patriarchæ Buellio ac Columbo Admirali, fiscellum artificio miro concinnatum plenam prætiosis dulcisimisq; patrijs fructibus dono dedit, orationemque habuit hujusmodi per Didacum Hispanum sic interprætata. Terras omnes has hactenus tibi ignotas manu potenti te percurrisse nunciatum nobis fuit, populisque incolis metum non mediocrẽ intulisti. Quare te hortor moneoq;, vt itinera duo cum è corpore prosiliunt animas habere scias, tenebrosum vnum ac tetrum his paratum, qui generi humano molesti infensique sunt; jucundum aliud & delectabile illis statutũ esse, qui pacem & quietem gentiũ viventes amaverunt. *Vid. Petr. Mart. hist. summæ.*

Si igitur te mortalem esse, & vnicuique pro præsentibus operibus futura merita obsignata memineris, neminem infestabis. His & alijs pluribus per interpretem sermonibus auditis, cuncti nostri stupebant, & admirabantur talem Sindericam & Gnomonicam sacram Philosophiam & Theologiam, in his remotisimis barbarisimisque populis extra frequentationem Academicarum scholarum adinvenisse & audivisse doctrinam. Quare in hæc verba vicisim per interpretem Admiraldus Columbus respondit: Planisimum sibi esse ac scitum optimè quæcunq; dixerit, ac fide religioneque Christiana Catholica multò plura sibi cognitum facere velle, per hos divini Numinis Apostolos Reverendisimum & Illustrisimum Patriarcham Buellium, ac Monachos Ordinis S. Benedicti ostentans, quæcunq; dixerit: De animarum è corpore hoc mortali exeuntium disimilibus itineribus, luctuosis pænis ac præmijs: imò putasse hactenus itinera hæc animarum ab hinc commigrantium in aliam vitam gaudiosam vel luctuosam, harum Insularum excultoribus penitus ignota & obscura fuisse. Proinde se ad hoc munus cum his Religiosisimis Sacerdotibus ab Orbe Europæo potentisimis Catholicisimisque Hispaniarum Regibus dimissum, vt bonos, moderatos, & obsequentes honoraret, ac præmijs afficeret, & ad omnem si necesse foret, morum humanitatem instrueret. Sceleratos verò, ac inquietos, crudelesque humanarum carnium voratores, sanguinisq; helluones, veluti pessimos latrones, inter quos Canibales ipse benè nosceret, debellaret, ac pro me-

ritis ſupplicijs afficeret. His dictis mirabili lætitia ob tantam Chriſtianorum hominum juſtitiam, humanitatemque geſticulari viſus eſt, maximè quod Columbus tantus maris Dux, alterius potentioris Regis Imperio ſubjectus eſſet, tantamque Regum Hiſpanorum in Orbe ſibi hactenus inaudito Europæo majeſtatem, & in ſubigendis populis poteſtatem, ſuorummet ſubditorum promptam obedientiam Reges Hiſpani obtineret. Compertum eſt itaque hujus Iamaicæ Inſulæ populum omnia habere communia: Solem, terram, aquam & aërem, neque meum aut tuum malorum omnium in mortalium Republica ſemen, cadere inter ipſos verbum contentionis, ſunt enim parvo & exiguo contenti, vt in hac animalium frugumq; ſuaviſsimorum tellure, magis agri ſuperſint, quam deſint; Aurea eſt illis ætas, neque foſsis aut parietibus, ædes, civitates, ſepibusque prædia cuſtodiunt, apertis vivunt hortis: dum cubant ipſis terra ac ceſpis viridis pulvinar, cœlum pro culcitra eſt. Sunt Vranoſcopi ſine libris, ſine legibus, ſuapte natura rectum & honeſtum colunt. Malũ & ſceleratum illum judicant, qui inferre cuiquam vim & injuriam delectatur toti nudi tum corpore tum animi ſinceritate. Procul ab illis illud ſcelus abeſt: Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo; mala autem in cordibus eorum. Præter inter alia quæ ſupra diximus, hæc Inſula quoq; abundat Cuniculis, capris ſylveſtribus, Gallopavonibus, Damulis, varijsque feris optimis. Item bombice ſuperflua, quæ tamen quia textrinam ignorant, vti ad veſtes neſciunt. Maſtice, aloe, zingibere, cinamomo, pipere rubro, eſt florentiſsima. Aurum & argentum negligunt, ideo rebus non moneta communicant mercatoribus, de quo negotio non ingratum audi Hiſtoriam. Incola Iamaicus ſemel Hiſpanum quendam acceſsit, Columbam quibus abundant, ſecum adferens, oſtendebatque ſe illi palumbem dare velle, ſi quid aliud illi viciſsim dederit pro precio. Hiſpanus aureum Caſtellanum è burſa porrexit, continuò barbarus ori applicuit & guſtavit, num quod ſperabat optimum ſuaviſsimumq; bolum ad edendum nactus eſſet. Qui cum contrarium expertus eſt, continuò aureum exſpuit, tanquam rem invtilem ad comedendum nutibus indicavit; ac columbam ſuam ab Hiſpano repetijt. Illud præterea hac occaſione ſilentio non eſt prætereundum, quod ex ore tum ſcriptis quorundam ego didici relatione: Nimirum Clericos Monachosque multò minus fuiſſe in India tentatos carnis titillationibus, cum hos Americanos ſine fimbrijs ac paſſamentis veſtitos; ſed planè nudos Inſulares viros fœminasque conſpicerent; quam in ſua Europæ Patria, vbi mulieres turpitudinẽ ſuam vt abſcondant, ſericis aureisq; veſtimentorum fucis, quãvis deformiores multò & turpiores Indicis fœminis à ſimetria & proportione corporis inveniantur, contegunt, amatoresque alliciunt.

Cur verò id accidat, tu ipſe expende proplema? Nam quanto quiſque concupiſcentiam ſuam in rem amatam extendit, tanti æſtimat & amat rem illam, ſecundum illud commune proverbium: Quisquis amat ranã; ranam putat eſſe Dianam, nimirum vt & S. Doct. Auguſtinus ajt:

ajt: Consuetudo vitij ferreum indusium. Proinde si quis cum S. Tobia juniore non exteriora, sed interiora piscis considerauerit & exenteraverit, jecurque exciderit, id est, carnem superfluosque naturales spiritus per jejunium mortificaverit, Cor suum vitalesque spiritus, per quietem claustralis exercitij & passionis Christi meditationem & fugam conversationis scandalosæ compescuerit & sedaverit: objecta enim movet sensus: & felle illiniverit oculos suos, id est, amaris fletibus, luxuriam, gulã, vitaverit; Ne Ancilla tuum jecur vlceret vlla puervé. His dignus erit vi- *Ovid. Epist. 8.*
sione contemplationis divinæ, cœlestisque Sponsi consolatione; ob suam quoque laboriosam continentiam, æternis delitijs perfruetur. Felices ergò hi novi Orbis Apostoli Ordinis nostri S. Benedicti Fratres; Sublimes verbi divini Præcones; laboriosos præcelsosque virtutum Heroes, qui concupiscentiam carnis & gulæ ac mundi superbiam, vt inimicos debilitatos, devictosque, potuerunt ponere Christo illorum Sponso adjuvante sub scabello pedum suarum effrenium sensitivarum potentiarum, & acutissimo rationis, pietatis ac temperantiæ telo domare atque configere.

In hac Insula Iamaica principalis civitas est nova Sevillia, cum illu- *Hieron. Bezom. l. 2. de novo Orbe*
stri amplissimaque decorata Abbatia. In quo Monasterio primus Abbas fuit Petrus Martyr ab Angeleria Mediolanensis, qui triginta libros de Occidentalibus Indijs elegantissimè conscripsit, quos ego quidem non omnes vidi, sed ab alijs autoribus citatum nonnihil legi, atque ex eo aliqua cognovi. De quo Clarissimo Abbate ac viro Doctissimo sic quoque *In general. histo. Ind. c. 48.*
Franciscus Lopez scribit: *Esta la Isla de Iamaica, el principal pueblo se nombra Sevilla. El primer Abad que tuuo fue Pedro Martir de Angeleria Milanes el qual escrivio muchas cosas de Indias en latin, como era Croniſta de los Reijes Catolicos.* Id est: Insulæ Iamaicæ à populo principalis metropolis nominatur Sevilla. Primus Abbas hic fuit Petrus Martyr ab Angeleria Mediolanensis, qui multas res Indicas latinè descripsit: Fuit enim Chroniſta Regum Catholicorum. Atque in hujus Insulæ pelago propè Oristam vel portum de las Hormigas, prima civilis rebelljo & dissensio orta est & pugna navalis quam terrestris inter Hispanos commissa est, de quibus infra tibi aliquid indicabimus.

Enarravimus tibi hactenus, qua ratione Hispani Indias Occiduas navigationibus suis aperuerint, quasvé Insulas primitus perlustraverint. Nunc verò vlterius audi, quomodo America Peruana manifestata sit, id- *Vide Petri Apiani Geogr.*
que nobis ex Gregorio Bonzio Hispano sic accipe: *America quæ agora se dize quarta parte del mundo, tomo mombre de Americo Vespuccio inventor della, ij casi se podria llamur issa, por quela marodea casi por todas partes. Fue incognita à Ptolomæo ij a los autores autiguos. Por estar muij à partada, halloſe el Anno 1497. Por mandamiento de Rey de Espanna: ij por ser tan gran tierra la llaman el nueovo Orbe o mundo. Los moradores van des nudos ij muchos dellos, comen hombres. Son diestros enel arte detirar conel arco. En muchas partes viven sin Rey ni Sennor. Son muij diestros en nadar assi hombres como mugeres, Carozen de Hierro ij de otres metales, mas delos dientes depescados ij otros animales vsanpara armar*

armat sus saetas. Id est: America quæ nunc quarta pars terræ dicitur ab Americo Vespuzio ejusdem inventore nomen sortita est, & non immeritò, quoniam mari vndique clauditur, Insula appellatur. Ptolomæo autem & antiquioribus propter nimiam ejus distantiam incognita permansit. Inventa quidem Anno Christi 1497. ex mandato Regis Hispaniæ, propter ejus quoque magnitudinem novus mundus appellatur. In ea Incolæ nudi penitus incedunt Antropophagi sunt crudelissimi. In Sagittandi arte certissimi: nulliquè obediunt, dominis ac Regibus carèt, in vtroque sexu natatores existunt fortissimi, Ferrum cæteraque metalla non habent, sed piscium & animaliu dentibus suas armant sagittas.

Totus autem iste novus Orbis de quo nunc agimus, in duas ingentes peninsulas dividitur, angusto inter se Isthmo ad Panamam & Nomen Dei cohærentes: Quarum altera ad septem triones, ad Austrum altera longissimo tractu porrigitur. Ambitus qui cognitus est vniversus, amplius novem millibus & trecentis Hispanicis milliaribus constat: quorũ tria millia trecenta sexaginta quinque ab Australis maris littoribus occupatur: ab Aquilonaris verò; reliqua: quæ quidem quinque millium nongentorum & sexaginta milliarium Hispanicorum summam excedunt. Oceani qua Australe novi Orbis latus alluit æstus est vehementissimus, adeò vt in nonnullis promontorijs ad duo milliaria decrescat, in alijs verò aquæ ejus egressum è summo littore, vix visu assequi queas. At idem ille, qua Boreale latus occupat, nullam propemodum accessus receſſusque reciprocationem admittere magno cum Philosophorum stupore deprehensus est. Causam tibi supra satis indicavimus, de Euripo & polis mundi. Orbis porrò hujus Provinciæ versus Septentrionem hæ sunt. Norũbega, peninsulæ instar ad mare del Nort porrigitur: Cœlum istius Regionis temperatum, ager fertilis mare ob Syrtes & vada periculosum. Gentes in his Provincijs, aliter atque aliter ab Hispanis, quam novis Geographis nominantur: nimirùm Nicaragua, Nico, Fonduras, Guatimula, Iucatan, Hispania nova, Culia, Topira, Terlichichi, Acechi, Tova, Marata, Florida; hujus Provinciæ littora marina Ambarum cinericium pro Myrothecis copiosè suppeditat, & ejus sylvæ lignum Sasafras odoratissimum. Capaschi, Calicuas, Nova Granada, hic poma malorũ granatorum sunt ingentis magnitudinis, eorumque grana interiora instar nucum avelanarum Turcicarum. Mar Vermejo, Californica, Ton, Tonneac Regnum. Tolum Regnum, nova Albion, Quivira Regnum. Serra Nevado, Virginea, Anacal, Apalchen, Mocosa, Albardos, Avanares, Chilaga Terra nova, Terra Corterealis; Terra laborador; quam sic ob eximiam ejus frugum fertilitatem nominant, Baccalaama à piscium quodam genere quo abundat, sic appellatur. Indè Æstotilant & Ainan Regna vltima Asiæ Boreali, vt aliqui volunt continua sub polo artico & Zona frigida. Per hujusce Regni Ainan continentis littora Cabo de Fortuna, ejusque maris angustias Hispani Estrechio de Ainan dicunt.

Rebelles Vasalli Regis Hispaniarum, nimirùm audaces præsumptuosique Calviniſtæ Hollandi, Daniam, Sueciam, Norvegiam, Finmarchiam,

chiam, Boddiam, Scrickfinniam, Lappiam, præter & circumfretantes Borealia maria Europæ Insulasque, ad Regna Cathay & Sinarum; Trafficum Regi Catholico in Molucensibus, alijsque Orientis Indiæ Insulis præripere volentes navibus breviorem viam indagarunt. Sed in Oceano Tartarico non procul à nova Zembla promontorio Tabin, per frigus intollerabile, ac mare glaciale impediti, cum per glaciem in sylvas de navibus se recepissent, ab ursis ac lupis, alijsque feris devorati, simul & inædia perierunt. Hæ duæ Regiones Æstolant & Ainam frigoribus perpetuis subijciuntur. Incolarum vestitus est ex ferarum pellibus, Carnibus & piscibus crudis vescuntur marinis: eorumq; sanguinem mixtum aqua liquefacta igne in potu pro delicijs habent. Nam glacies quo illorum Regio perpetuò riget, aquæ vicem supplet, quo veluti saccaro mirificè delectantur. Ex pellibus piscium maris grandissimis quos illi Baccalaama dicunt, instar bovis corio ad vestitum aliosque apparatus vtuntur; navesque ex eadem piscium cute, nervisque animalium quos pro lineis filis habent consuunt conficiuntque; quibus in mari discurrunt, piscantur, & anseres marinos ad victum aucupantur.

Nunc denuò ad Isthmum Panamá sive Darienem de quo supra revertamur; Et alteram Americæ meridionalis plagam ad austrum sitam perveſtigemus. Intermedijs ergò Insulis vtpote Guanahana, quam omnium primam vidit & invenit navigatione sua, ac proinde Desideratam Insulam nominavit C. Columbus, cui colateralis est Insula S. Benedicti, item Insula S. Crucis Spagnolla, Isabella sive Cuba Iamaicá, Cozumella, sive S. Ioannis, Iucantana, Coluacatana, Olloa cum reliquis ac Golfo de las Damas derelictis; ad austrum versus sequuntur Insulæ Camercanæ, sive Antillas, Paria, Castilia del Oro, Wikiri, Assavvai, Orenoque, Amapaja, Guiana, Andalusia, Quareca, quæ Provincia sola Americæ sub Æquinoctiali linea sita Æthiopes generat, licet sub eadem Zona torrida quamplurimæ nationes habitent, qui tamen alio colore in cute distinguuntur. Hujus rei rationem alij in humores corporis referunt, ex quibus corpus & pellis alitur; ajunt enim corpus ex prima humorum permixtione augeri, & cibos ex elementis compositos, qui si plus atræ bilis & crassioris humoris obtinuerint fuscum & nigrum procurare colorem, sed vanum est hoc asserere. Nam quis non sacrorum Philosophorum intelligit, non ex solo coitu elementorum absque seminaria potestate genitos esse filios Adam. Hominis enim corpus ex semine & sanguine agente interno principio ad similitudinem generantis post primum Adamũ & Evam esse progenitos patet homines, qui non Æthiopum, more nigrã & adustam, squalore in Paradiso cutem pellemque gestabant. Alia ergò & occulta quædam istorum est ratio, nec soli semineo principio elementorumque motibus attribuendum. Quidam enim super hunc passum Bechaiaus Iudæus atque Doctus Rabinus ajt: Chamum Noachi filium submerso terrarum Orbe, in Archa sancta operam Veneri dedisse; ideò ob hanc intemperantiam divinitus factum, vt ejus Chami filius, ex eo Patris cum vxore congressu, natus, omnisq; ejus posteritas internam

Patris malitiam corporali nigredine proles conteſtaretur, nec abſurdè hic Iudæus commentatus eſt: Nam cum Arcta Dei Eccleſiam futuram ſignificaret, malos cum bonis, & bonos inter malos vivere vſque ad finem mundi præſignavit, præcipuè Hæreticos; qui Patris Noë verenda, vt hic poſtea maledictus Cham, ludibrio affecit. Illud ſanè conſtat ex hiſtorijs nullibi terrarum nigriores homines quam in mediterraneis Affricæ locis inveniri, ea autem loca Chus, Chami Nepos incoluit, & omnes ejus poſteri. Quam ob cauſam Æthiops Hebræis Chuſaph ab aduſta nempè facie dicitur, vt qui illicita libidine ardebat intus in arca Domini, ob hanc irreverentiam, cum tota ſua generatione mulctaretur foris nigra pellis aduſtione. Addi poteſt & hæc ratio: Ne quis putaret ex varijs coloribus nationum in toto Orbe, varias quoque inde ſpecies hominum dari & eſſe quæ ſpecies animalis eſt vltima.

Cæterum qui hos Indos Americanos Hiſpani noverunt referunt, ſe animadvertere neſcio quid ijs deeſſe, quo minus vti nos in Europa, ipſi plene homines eſſe videantur. Quod non ſolum naturæ cœli à noſtro propemodum diverſæ, verum etiam contrariæ à noſtra, inſtitutioni, diſciplinæque attribuendum cenſeo. Addo inſuper ego, Europæos ideò Indos homines abhorrere, nec ſibi homines vſquequaque videri, quia notum eſt in pecudibus, boves macellum & laniones mugitu perſtringere, quia ſuæ ſpeciei ibidem individuorum ſanguinem effuſum & mactatum eſſe perſentiſcunt, & ex mumia ſanguinis iſtud odorant; Quod & canes in lictoribus qui canicidas agunt, in majoribus civitatibus faciunt, licet enim hos non videant, præſentes tamen olfaciunt latratuque perſtringunt, ac perſequuntur antipatiæ cauſa. Sic de iſtis antè hac Antropophagis Americanis ſentiendum eſt, perhorrendis humanarum carniũ voratoribus. Porrò qui vtroque Parente Hiſpano in India naſcuntur, eos fama eſt, Indici ingenij vim haud exigua ex parte imbibere; qui verò ex Hiſpano & Inda progignuntur, quos Latini Hybridas vocant, Hiſpani miſticios; Hiſpanicos mores induere ajunt, vitia præſertim: Quæ enim gens ante Hiſpanorum adventum contemptrix opum fuit, ea nunc ijs ambitionique ſtudet, & dignitates appetit. Provinciam Quarecam ſequitur Peru; de qua poſtea; Item Regio Canibalium, Anebas, Caribana, Guiana, Epuremi, Amazonum Regio, Popojana, Say ma, Acamacari, Charcas, Chicas, Chili. In hac Provincia Chili præcipuè Oppido S. Iacobi horrida fames aliquando graſſabatur, adeò vt Indi Suras ſibi amputarent, easque præ fame comederent: vulnus ſanabant, & ſanguinis rivos ſiſtebant planta quadam, quam Hiſpani Medici Hæmathitem vocant, folijs ſuper ſurarum vulneribus impoſitis. Miram quoque Oſorius experientiam refert de ſanguine ſiſtendo, ajt enim à Luſitanis Nahodabegueã quendam Ducem Indorum multis vulneribus conciſum cecidiſſe, nullum tamen ſanguinem è vulneribus emiſiſſe. Cum tandem Portugalenſes milites, illum nudaſſent, armillam ex auro factam, in qua erat lapis quidam incluſus comperiunt: mox detracta armilla, magna repente vis ſanguinis ex illius acceptis vulneribus emanavit: lapis iſte ex beſtijs quibuſdam

Lib. 7. Hiſt. Oſorij.

buſdam terræ illius eruitur, quas Siamenſes Cabriſias appellant; qui mirificam ad ſanguinem ſiſtendum vim continere dicuntur. Sequitur Provincia Parabolia, Toncamania, Patagones, Toltij, Paragnaia, Quaira, Timbuja, Tiſuada, Pagnana, Wejana, Ornagua, Braſſilia, Topago, Ovetacates, Quaria, Morpion, Tabiares, Torpini, Kini, Rio de la Plata. Porrò ambitus à Geographis & Hydrographis nautarumque experientia Americæ totius, novem millibus trecentis octoginta quinque milliaribus Hiſpanicis patet; quorum tria millia trecenta ſexaginta ſeptem, ab Auſtralis maris littoribus occupatur. Aquilonaris verò reliqua pars, quæ America Mexicana, ob Mexicam vrbem ingentem, ac perilluſtrem appellatur, ad quinque millium nongentorum & ſexaginta milliarium Hiſpanicorum ſeſe capacitas & amplitudo extendit.

Totaque novi Orbis iſtius Americani magnitudo, plus triplo ac quater Europam exuperat, multis inſuper Regibus, populis, civitatibusque ampliſſimis, ijsque innumeris exornatur. Cognito itaque Orbi tam illuſtri opulentiſſimoque Regno; Hiſpani ſe accingunt, paratisque triremibus, omnibusque ad iter neceſſarijs, ac magnificis iſtis gentibus Americanis inſolitis muneribus anno nonageſimo ſeptimo ſupra milleſimũ quadringenteſimum Darienem ad Iſthmum feliciter navibus applicant. Miſſis itaque Indis ab Admiraldo interpretibus, ad Regni quod maximũ ditiſſimumque habetur Peruani confinia, cum paucis Hiſpanis exploratibus, qui Cuſconienſi populo Regique Attabalipæ præſtantiſſima dona, eaque munera infiniti valoris, & felicitatis æviternæ, ſalutisque bonum fauſtiſsimumque nuncium attuliſſet in ipſis Regni Peruani confinijs conſiſtere, vbique divulgarent. Nunc verò qualis ſit hæc Peruana Americæ Provincia ſive Regnum ex Gregorio Boncio alijsque Scriptoribus audiamus.

La tierra que ſe dice el Peru mas rica de oro ij ſpecias que todas las otras. Eſta provincia eſta in longitud de 290. grados, contando desde el Occidente hazia el Auſtro por 5. grados. Eſta tierra ſe illama agora la nueva Caſtilla, es en tanta manera rica, que en vna cuidat que ſe dice Collao, ſe hallo vna caſa toda hecha de oro. Ij comunemente para los vſos domeſticos, vſavande vaſijas de oro. Cogen teigo dos vezes al Anno: aij mucho ganado aij ovejas tan grandes como cavallos, que parendos vezes al anno, aij. Ciudades grandes ornadas ij regidas con policia ſino que no conocian à Chriſto. Agora ija por gracia de nuoſtro Sennor, ſon Baptizados, ij conoc̃e la miſericordia del Dios, Deſpues que les fue prædicado el Evangelio de Ieſu Chriſto. Id eſt:

Regio PERV omnium quæ hactenus inventæ ſunt cum auri tum ãromatum ditiſſima inventa eſt. Ea ſita eſt in longitudine 290. graduum, ab occaſu verſus ortum facto ordine: Ab orbe medio verò diſſidet, auſtrum verſus partibus quaſi quinque. Hanc enim novam Caſtiliam, ab inventoribus nominant. Hic tanta auri atque argenti vis eſt, vt vaſa in contemptiſsimum vſum deſtinata inde conflent. Et quod magis mireris, in civitate quodam Collao, reperta domus eſt, tota auro tecta. Neque verò minus in alijs felix eſt Regio, frumento enim, Machitium vo-

cant, bis per annum gaudet, animalium vario genere dotata, feris nocivis se tamen liberam jactat. Oves tantæ proceritatis sunt, vt vicem equorum ipsis vtantur; tamque fœcundæ, vt fœdus bis per annum edant. Civitates habet legibus, atque armis munitas, fluminibus, montibus, ac sylvis mirum in modum adornata est. Paradisum dixeris terrestrem: Incolæ verò prudentia, morum comitate, artium variarum peritia, ac fide probè instructi, commercia omnemque probitatem satis excolunt, nisi quod Christum ignorent, qui tamen vt multis jam innotuit; ita cunctis spiritu ducente, innotescat optamus & speramus, omnique industria labore ac diligentia conandum id est.

Fama igitur percrebescente in Regione Peruana de alterius mundi hominum Hispanorum adventu, ad ipsam tandem vrbem Cusconiensem Arcemque Regiam pervenit.

Rex Ataguualpa vel Attabalipa, quoniam jam diu Hispanorum belli mercimoniorumque præclara facinora preciaque ex alijs Regulis noverat, avidè congressum nostrorum hominum ad tempus expetijt. Obviam ergò missis Peruanis aliquot Proceribus militibusque salvum conductum in Regnum Peruanum, ac Regiam vrbem Cuscovienſem Hispani habuere. Sacro se insuper fœdere iuramentoque obligantes, de firma observanda amicitia, ac sine noxia læsione ad suos è Cusconiensi vrbe navesque reversione. Admiraldus munera militemque disponit, viginti septem equites cataphractos, centum quoque scopletarios pedites, ad sui suorumque custodiam enumerat, quem Nobiliores aliquot Hispani & Coronelli etiam comitati sunt. Naves interim apud Darienē cautè cum reliquis militibus per navarchos in anchoris donec nuncium accipiant consistere jussit. Illustrissimus quoque ac Reverendissimus Patriarcha Buellius, secum assumptis Religiosis Sacerdotibus, omnia quæ sibi æstimabat necessaria ad hoc præclarum legationis opus, de sacro apparatu illis tradidit: inter alia librum Evangeliorum; in quo eleganter duodecim articuli fidei Catholicæ depicti fuerant; Ipse autem Patriarcha rubea Cuculla indutus, desuper rochetto pallium Apostolicum deferens, crucem manibus attrectans procedebat. Ascensis itaque curribus Attabalipæ regijs, quos non equi sed Guanacos, id est, oves trahebāt post aliquot dies Regiam vrbem Cusconiensem cum prædictis Procerū Commissarijs appropinquabant. Admiraldus rogat destinatos Peruanos Proceres, vt ipsos Peruanos milites aliquot præire jubeant, sibique introitum in Regiam vrbem disponere liceret, quod & Attabalipæ & suo potentissimo Regi Catholico erit valdè condecens & honorabile. Isti quæcunque velit ad ingressionem vrbis vt faciat annuunt. In prima itaque acie terni ac terni, cum suis sagittis ac clavis armati, ovibus insidentes. Peruani procedebant equites: hos consequuntur Cataphracti equites: Hispani duodecim; deinde quatuor cursores qui mulas cum lectica minabant; istos excipit Caballus Regius purpura phaleratus: mox Hispani pedites triginta; postea currus Admiraldi; hunc pone denuò triginta pedites Hispani, quos supremus salvi conducti Commissarius cum Illustrissi-



triſsimo & Reverendiſsimo Patriarcha curru inſequitur. Vltimã aciem equites Hiſpani & Peruani cum pedeſtri milite concludebant. Hoc ordine levcas duas procedentes ad ſuburbia Cuſconienſia appropinquant; ſubitò ingentem Peruanorum hominum multitudinem conſpiciunt, ipſeq; Rex Attabalipa ad excipiendam Legationem ſecundo obviam Proceres cum militibus dimittit, partim vt vulgus indomitus ne quid turbarum accidat arceatur; partim ne quid moleſtiæ noſtratibus ab inculta plebe contingeret. Incredibile eſt quantus populus adſpectandum etiã aliundè confluens effuſus eſt; adeò vt multi in plateis oppreſsi graviter læſi fuerint. Mira à noſtris Hiſpanis hic videbantur & audiebantur: Barbarorum nempè admirantium invſitati clamores, riſus, bracchiorũ pedumque jactationes, indigitationes, adorationes, genuflexiones, totius corporis inclinationes, capitis ad terram ſubmiſsiones. Deos enim noſtros Hiſpanos æſtimabant armis coruſcantes equites: præcipuè ſi quis ſaltibus in aërem caballum urgeret; aut equorum fremitum hinnitumq; exaudirent. Sed tunc omnibus pavor ac timor majorque reverentia erga noſtros inceſsit Peruanis, cum antè immanem aulam Regis Attabalipæ equites & ſclopetarij Europæi ſuas muſquettas cum ingenti tonitru in honorem Regis Attabalipæ diſploderent; tunc plebs circumſtans omnis in terram veluti mortuus concidit, ſubitoque noſtros averſantes in ſuas domos auffugerunt. Rex verò Attabalipa non ſine terrore ignem, fumum, tonitrualemque ſonum, equitumq; & armorum nitorem, ſtrepitumque admirabatur & ſuſcipiebat: rogavitque Admiraldum ne amplius his honorabilioribus modis illum ſalutare vellet; ſed vt ipſe illum alloqui maturaret. Præmonuit enim Admiraldus per Proceres Commiſſarios Peruanos Attabalipam ne expaveſceret, ſi more gentis ſuæ Regem ante mutuum congreſſum honorificè ſalutaret. Interiorem ergò aulam cum muneribus ingredientes Hiſpani, verbis conceptis Admiraldus cum Illuſtriſsimo & Reverendiſsimo Patriarcha Buellio Attabalipæ à Rege Catholico pacem, ſalutem, felicitatemque precatur, & vt veram quæ poſt hanc mortalem in æternum durat, immortalem vitam & agnoſcat & vivat ex animo cupit & exoptat; Ideoque Religioſiſsimos hos à Solis ortu Regem Hiſpaniarum Catholicum de ſodalitate S. Patriarchæ Monachorum Beatiſsimi Benedicti Religioſiſsimos viros, ac Sacratiſsimos Sacerdotes & Doctores, veri divini Numinis Præcones & cultores iſthuc dimiſiſſe, ac omnes quos hic præſentes aſpiceret, Regemque ſuum Catholicum amore benevolentiaque Peruani populi, ac pro ſalute dignitateque ipſius Attabalipæ vaſtiſsimum iſtum Oceanum ac mundum, tot periculis ac vitæ moleſtijs voluntariè aſſumptum iter aggreſſos eſſe, maximosque ſumptus ac divitias impendiſſe, vt vitam illam omni termino voluptatem carentem, & æternis deliciorũ fontibus perenniter ſcaturientem, ipſum Regem Attabalipam, atq; hos omnes Inſulares populos edocerent. Inſuper vt & Regis ſui Catholici amicum atque propenſum erga ſe animum Attabalipa cognoſcat, hæc ſibi munera transmiſiſſe.

Hæc & alia per Interpretem Admiraldus effatus Rex Attabalipa de

Regum Europæorũ majeſtate & potentia admiratus eſt. Illud verò maximè obſtupuit, alium adhuc mundum terrasq; præter Americã ſive Peruanam Imperium in rerum eſſe natura. Et poſt hanc aliã multò feliciorem, eamq; immortalem vitam ſupereſſe, nec Deos eſſe veros, quos Peruani hucvſq; coluiſſent ſpectra. Sed infames Cacodæmones mirificè admirabatur. Conſumptis ergò de varijs interrogationibus & reſponſionibus horis aliquot, de quibus vide Franciſcum Lopez hiſt. Ind. c. 112. munera proferri voluit Rex Attabalipa, vt quis eorum vſus ab Hiſpanis ediſceret. Lecticam ergò portatilem quam duo muli geſtabant, eamque ut aſcenderet Rex Attabalipa Hiſpani innuebant, quem aſinarij aulã circducentes pro itineribus ſuaviter conficiendis vtilem eſſe monſtrabant. Panem deinde triticeum candidiſsimum, ac vinum Hiſpanicum vitreis poculis promebant, cujus guſtum, ſaporem & odorem, cum pane ſuaviſſimo Rex laudavit, præcipuè ſciatos pellucitos Criſtallinos admiratus eſt. Promittebantq; Hiſpani ſe Regis Attabalipæ Incolas & Agricolas iſtius panis & vini ampliſsimam agriculturam edocturos. Si Vicario Chriſti in terris Dn. Papæ ac Regi Catholico Hiſpano fidelem amicitiam & obedientiam promittat. Veſtes deinde Hiſpanico apparatu, cum venabulo ferreo perpulchro ad configendas feras afferebant: veſtibus aulicum vnũ Attabalipæ induebant, qui monſtro ſimilis ſic indutus illis videbatur, ſpecula deinde, cultros, acus, aliaq; ludicra vtpote maſcaras offerebant, inter quæ maximè placebant larvæ ſive maſcaræ Regni, non tam ob pulchritudinis formam earum, quam Religionem Patriam: ſolent enim hi populi lemurum formas, ſive ſpectra diabolica noctu illis nõnunquam apparentia rudi modo effingere, ac vultui applicare in honorem ſuorum Idolorũ ac Cacodæmonum, quos illi pro Dijs colunt. Rex tandem Attabalipa Admiraldo ſingularibus cerimonijs gratias egit, pro Regis ſui Catholici amicitiæ benevolentia ac muneribus: & abeundi in hoſpitium paratũ licentiam impertitus, ſuo præcipiens Camerario, vt hoſpites lautè tractaret, Hiſpanos; ſeq; poſt paucos dies de fide religionisq; Chriſtianæ capitibus, ac eorum Dijs interrogationem & cognitionem habiturum. Tribus evolutis, quarta die Rex Attabalipa noſtros Religionis cauſa accerſivit Hiſpanos. Admiraldus in ordinem ſuos milites cogit, eoſq; exornat. Illuſtriſſimus & Rev. quoq; Patriarcha Buellius cũ ſuis Religioſis Sacerdotibus, venerandis ſe exornant paramentis, quibus & ſacrata inſignia deferenda tradidit. Ipſe verò Patriarcha Buellius crucem Patriarchalem deauratam manibus renens, purpureo indutus cucullo ac pallio Apoſtolico Cardinalitioq; opertus galero, prodibat: dextra codicem ſacrum Evangeliorum geſtabat. Ab Hoſpitio abeuntes primi erant aulici Regis Attabalipæ, qui noſtros ad Regiam audientiam vocabant. Deinde ſeptẽ Hiſpani trombetis æneisque tympanis aera plateasq; perſonantes. Hos inſequuntur decẽ Coronelli Hiſpanico more inſigniter veſtiti quos inſecutus eſt Admiraldus galea criſtata, chalibeaque thorace fulgidus, ſuis vtraque ex parte comitatus curſoribus.

Hunc inſequitur Illuſtriſſimus & Rever. Patriarcha Buellius, cum

14

Clero suo Monastico, quos à dextris & sinistris primores militum Hispanorum præclarissimè loricis ac hastis exornati splendidissimè obibant; processionem claudebant sclopetarij Hispanienses. Incredibili gravitate ac reverentia hoc modo versus Attabalipæ Regiam aulam procedebant: atque ad hoc spectaculum ipsa Cuscovienſis civitas à fundamentis ferè visa est commoveri, adeò multorum hominum accursus ac frequentia aderat. Regiam intrantes aulam interiori palatio, sub tribuna Attabalipam cum proceribus stipatum Regem sedentem offendunt: exclusaque vulgari turba Hispanis locus attribuitur, qui sese splendidè ac solenniter erga Illustrissimum & Reverendissimum Buellium & Sacerdotes Monachos, officioseque gerebant, Patrio more flexis poplitibus Patriarchã semicirculo Sacerdotesque excipiunt, veneranturque. Attabalipa ornatum nostratium Sacerdotum, religiosamque modestiam, ac singularem pietatis ac sanctitatis contemplans decorem, stupebat: silentium omnes & admiratio barbaros occupabat Peruanos. Tandem Illustrissimus & Reverendissimus Patriarcha Buellius sic sermonem exorsus est:

Permagni multumq; Rex Attabalipa interest considerare, à quo vitalis auræ spiraculum, ac viventem rationisque capacem animam, qua soli à brutis differimus hominum genus acceperit: Cum eos minimè qui præ nobis multò retro sæculis evolutis vixere parentes nostri, hujus vsura lucis auraque vitali amplius perfrui conspicimus. Cujus rei obscurissimam originem causamque latentem, vt perdifficilis perscrutandi est humano ingenio, ita perfacilem nobis clarissima luce Christiana religio cognoscendam proponit. Esse enim præstantem aliquam æternamque naturam, & eam suspiciendam, admirandam, colendamque hominum generi, hic mundus ordoque vniversi cogit confiteri. Quæ quidem amplissima totius vniversi moles, ex pulcherrimo tot tantarumque rerum concentu perfectissimè conflata, in superiorem cœlestium, & inferiorẽ terrestrium corporum differentiam dividitur; & ad certum finem Dei Ter Opt. Max. potentia ex nulla præexistente materia, nullisvé instrumentis tantæ structuræ adhibitis, solo suæ voluntatis nutu, non ab æterno, sed eo quo ipsi divinæ bonitati complacuit, in tempore fabricam cõstruxit. Siquidem rerum omnium Conditorem Conservatoremq; vnũ Deum immortalem, terno tamen Patris & Filij ac Spiritus sancti personarum numero differentem, in vna substantia coequali & indivisibili per se existentem, sempiternum, immensum, Omnipotentem, Christiana Religio Catholicaq; Mater Ecclesia, mortalibus timendum, colendũ, reverendumque ad salutem immortalem credere docet ac exhortatur. Cujus imperio cœli, terra, mare, aër, conditi sunt. Et quod in his aut esse, aut vivere conspicimus, ab illo divino Numine vitalis animæ auram, augmentum, motumque accipere Christicolæ scimus & credimus. Cujus nutu Angeli cœlestes, & in terra homines effecti gubernantur conservãturque. Atq; hunc quem præ oculis cernimus & admiramur Americanum Peruanumq; Orbem & Archipelagum, piscibus atque undosis repletum Balenis ac monstris, æstu fluctibusque tumentem commovet, fovet,

vet, temperatque. Cujus Numinis Christiani lumen fulgorque immensus, lucida, sydera incircumscriptibili sui decoris lumine, radijsque exornat. Cujus denique infinita bonitas, has quas in viridi solo plantarum radices, herbas, stirpesque arboreas, cum eorum fructibus suavissimis hominum ac brutorum vsuiaptissimos locupletissimè diversis temporibus impertit. Malorum verò omnium causa, ac rebellis in Deum execranda perfidia atque superbia fecit, vt quos Deus noster sanctissimus, integros, sanos, beatosq; à principio formavit & creavit primos Parentes nostros, per transgressionem contumacis voluntatis suique præcepti, de cœlo quidem prius Apostatas Angelos, hominum verò genus de Paradiso voluptatis in hunc mundum ærumnosum expelleret. Repagulisq; legum divinarum semel confractis, in omnem deinceps quæ nos homines modo vndique nociva premunt perturbantque, tum corporis tum animæ malorum cupiditatum labyrintum implicaverunt.

His ergò malis quatuor millibus circiter annorum mortales oppressi, hos tandem divina gratia & misericordia aspirante, bonitas infinita eripere complacuit: missoque in terram filio suo vnigenito, qui cum immortalis, impassibilis, coeternus, æqualis, connatur alijsque Filius divo Patri existeret; passibilem, mortalemque humanam naturam, pro nobis peccatoribus, excluso de more genitali comercio, ac omni labe peccati, de purissimis, castissimisque inviolatæ semper Virginis Mariæ visceribus, tertia persona in sacrosancta Christiani Nominis Trinitate Spiritus Sancti cooperante gratia, humanam naturam corpusq; assumpsit, ac de virgine in hunc mundum factus homo nasci dignatus est, vt nos homines nocentes, ac peccatores æternis ignibus concremandos puniandosque, ipse Deus homo vnigenitus Christus Iesus Redemptor noster per acerbissimam suæ passionis crucem, ac suscepta vulnera, ab omni culpa, supplicijsque Deo Patri expiaret, & reconciliaret, morteque sua nostrarum animarum mortem, in vitam immortalem commutaret: illisque æternas delicias, præmia, vitamq;, omnibus his mundi voluptatibus jucundiorem, qui in illum crediturí sunt, perdonaret. Reprobis verò ac perfidis, cum in novissima tuba Regionum sepulchra personuerit, omnis quem hic vides amplissimum Orbis terrarum apparatũ ignis incendium devorabit, ac mortui omnes ad tribunal vivi resurgentes apparebunt, ac Christus venturus Iudex, omni fine carentia supplicia cruciatusque infliget, in tenebrasque exteriores cum Angelis Apostaticis quos tu modo sceleratos turpissimosque in delubris Cacodæmones colis, pice ac sulphure flagrantem in omnem æternitatem fœtentem paludem deturbabit. Hunc ergò tibi ô præstantissime Rex, bonæ salutis & voluntatis nuncium, ac salutiferum sermonem, divinique verbi thesaurum incomparabilis precij, de Europa tot maria transfretati, acti, jactatique ferocibus fluctibus, magnoque rerum nostrarum discrimine gratis attulimus, vt Deo verò placere possis, ac ejus quæ in te, ac omnes mortales redundat gratia atque bona voluntas, cognoscere, & in æternum post hanc vitam immortalis cum eodem regnare & beatus vivere, supplicia

plicia incendiaq; æterna effugere valeas. His auditis ac per interpretem declaratis, Attabalipa intremuit & ob infernalia supplicia conterritus est, neque se veros Deos hucvsque adorasse, sed vna secum ni Christianorum sacra amplectatur, post hanc vitam in æternum ignibus exurendos cruciandosque dæmones coluisse, non modicè conturbatus est. Rogat ergò per Interpretem, visibilisné vbi, & quid sit Deus Christianorum, ejusque Regnum cœleste? Ad quod Illustrissimus & Reverendissimus Patriarcha Buellius respondet: O Rex Attabalipa, Deus noster est ab æterno existens, & sibimet ipsi est essentia & existentia, & à quo omnium rerum creaturarumque dependet essentia & existentia, isque immensus est, neque locis aut temporibus comprehendi potest, neque carnalibus oculis hic videri potest, qui videri, nisi invisibiliter non potest, sed mediante lumine fidei, in spiritu ac veritate, sacro fonte baptismali ablutis animabus Christianorum conspicuus est. Regnum verò, summi Numinis ac Dei nostri; Regnum est omnium sæculorum, tronusque ipsius Iustitia & Veritas. Vtpote tu Attabalipa Rex es, & à te totiusq; Regni tui dependet obedientia & imperium; licet neque te videant oculis, neq; audiant auribus semper tibi præsentes omnes Regnicolæ tui, tuum mandatum, aut Imperium. Sic & animam tuam oculis tuis Attabalipa non vides, neque quo certò loco in corpore tuo resideat, intueris; neq; eum gustas, olfacis aut tangere potes; & tamen anima tua hæc omnia corpori tuo præstat, operatur & exercet, vt olfacias, sentias, videas. Simile fere modò Omnipotens, invisibilisq; Deus noster à creatura magni mundi hujus; ipsius maxima, immensaque existentia invisibilis virtus & essentia, tibi ac omnibus hominibus O Attabalipa intelligenda, conspicienda, cognoscendaque interim proponitur, donec Christianæ fidei sereno lumine illustreris. Post hæc Rex per interpretem librum Evangeliorum, quem Illustrissimus & Reverendissimus Patriarcha Buellius manibus gestabat, attrectare expetijt: opinabatur enim Attabalipa librum ipsi Illustrisimo & Reverendisimo Patriarcha Buellio colloqui, atq; ea omnia quæ peroraverat, in aures susurrando librum patefacere: ignorat enim literas Peruani. Libenter itaque cum reverentia Regi codex oblatus est, quem Attabalipa, sursum deorsum evoluens, postremò etiam auribus applicuit, tandem per interpretem ajebat, se nihil ab hoc libro intelligere, audire vel discere, nihilque sibi colloqui? Proinde vera ea sint nec ne, quæ Illustrisimus & Reverendisimus Patriarcha Buellius sibi enunciasset minimè agnoscere: & librum in terram vt rem inutilem è manibus projecit. Ex quo illico Hispanorum commota est còlera, Coronelli ac milites circumfremere inceperunt, atq; in cœlum manus vocesque attollere. Opprobrio nimirum maximo Christianorum Deum affici, verbumque illius Diuinum ac vivificum indignè atque inequè cõculcari exclamarunt. Illustrisimus autem & Reverendisimus Patriarcha Buellius Hispanos moderationis, & patientiæ admonebat, suaviterque cum his barbaris gentibus agendum persuadebat, neque volentis neque currentis opus, sed miserentis Dei collatam gratiam esse inuebat.

Soluto igitur Conventu Attabalipam timor pavorque occupavit. Sciverat enim Rex, audiveratque jam pridem ab alijs Regulis, quorum non paucos Regnis suis ac Provincijs exuebant, bellicam Hispanorum virtutem. Quarè secretiori Cubiculo perhumaniter advocato Illustrissimo ac Reverendissimo Patriarcha Buellio & Admiraldo, per interpretem dixit Attabalipa: Se pro tempore ad deliberandum commodiori visurum consulturumq; cum suis, num sacra Christiana, vna cum Regnicolis amplecti velit nec ne; magnam interim illis pro donis exhibitis ac muneribus habere gratiam. Regnoque Peruano si diutius commorari velint, sibi placere neque contrarium esse. Hispani verò vt acris ingenij viri existunt, jam dudum cognoverunt, hic diu morari sine majori præsidio minimè tutum fore. Regi tamen ipsiusque vt videbatur benevolæ voluntati acquiescebant, ac in aliquot dies moram ibidem trahebant, sed socios in littore relictos invisere velle Admiraldus dictitabat. Præmissis itaq; vicariatim per dies aliquot quos secum Cusco adduxit socijs, ipse tandem cum reliquis ac Clero subsequitur.

Eo verò tempore quo Legatio apud Regem Cusconiensem peragebatur, ex Hispanis militibus ac Coronellis aliqui continentem à navibus ingressi sunt, vt locum quo commodè munitionem portumque aptum negotijs instruere possent, explorarent. Multitudinem ergò Barbarorũ hominum Peruanorum incidunt, qui continuò Hispanos occiderunt, paucis fuga elapsis, qui reliquos de hac clade admonerent. Posteaquam ergò Admiraldus Daricam è Cusco rediens advenit, anchoras attrahi jubet, vasaque colligere, ac vela versus Cubam Spagnolamque pandi Nautis imperat. Missoque brevi Epistolio per aliquot Cusconienses cives, qui triremium nostratium apparatum videndi gratia Admiraldum comitaverant ipsi Attabalipæ; conquæstus est; nempè qua ratione iniqua ruptoque fœdere gentium, nequiter Peruani Incolæ aliquot ex Hispanis hostiliterque occidissent, seque Regi Attabalipæ quandoque pacem & amicitiam Christianorum respuat, bellum denunciare atque indicere, vt in futurum intelligat, Christianos verum, vivum, omnipotentemque Deum ipsis propitium ac semper auxiliatorem in adversis habere, nec non Regem magnanimum & opulentissimum, neque Hispanos quoscunque Reges aut Nationum gentes expavescere. Attabalipa verò uti sacra Christianæ Religionis spernebat, sic & hoc Admiraldi Epistolium persuasus à suis sacrilegis Sacrificulis, quos illi Pseudosacerdotes Quienes vocant, atque Regina vxore sua, quæ Attabalipæ suadebat, vt præsentibus potius vtatur voluptatibus, quam incertis spebus regnisque cœlestibus Christianorum animum auresque præbeat.

Est verò Cusco in Peruvia vrbium Regina, multitudine Incolarum Regia Metropolis. Hanc ante Hispanorum adventum Reges Provinciæ excelsè fovebant, magno Procerum & gregariorum hominum commercio jura hinc petentium celebrata. Inter Peruvias sola est, quæ faciem vrbis præferat; munitissimam enim quadratorum maximæ magnitudinis saxorum molem, ac mœnia habet arcemque munitissimam, ac Regiæ celsitu-

celsitudinis splendore dignissimam. Alius quidam de hoc regno Peruviano sic scribit: Peruviana Regio totius novi Orbis nobilissima, tota ferè intra Æquatorem & Tropicum Capricorni clauditur. Suntq; ejus fines à Septentrione Nova Granada. Castella aurea, & Peru fluvius ac portus, qui huic Regioni nomen dat: ab occasu est Oceanus seu Mar del Sur: à Meridie Chilo Provincia: ab Ortu montes: occupatq; longitudine sua hæc Provincia mille & octingentas leucas: Detecta fuit primùm à Christophoro Columbo Genuensi Anno 1494. vt & omnes aliæ Insulæ ac Provinciarum Regiones hujus novi Orbis, licet quidam hanc laudem ipsi Columbo in vanum summa injuria & invidia detrahant: postea per Franciscum Pizardum Anno 1525. subacta est.

Hæc autem Regio dividitur hodie in tres partes, nempè in planitiem, in *Sierras* seu montes, & in *Andes*, seu vltramontanam. Planicies Peruviæ juxta maritimam oram, expanditur milliaribus propemodum, 1500. Hispanicis: Ejus latitudo major ad 60. accedit, minor verò ad 30. Est autem hæc pars sabulosa, solitudinibus frequentibus deformis. Hujus tractus Incolæ viles sunt, pusillanimi pro esca habent pisces & carnes crudas. Montana Regio Peruviæ longo extenditur tractu, à Septentrione in meridiem mille circiter leucis. Sunt autem hi montes, admodum frigori subjecti: atque vrentibus præ frigore ventis nocentissimis obnoxij, adeò vt nisi quis certo tempore, vel necessarijs indutus vestibus per hos iter peragat, manus & pedes hominibus instar morbi Gangrenæ decidant: naresque eis nisi eas quis sicut & totam faciem cum reliquo corpore benè involuat, & custodiat, emungentes, sicut & pedes decidant. Reperiuntur in his montibus Leones nigri, lupi, vrsi, capreoli, & omne pumilium pecudum aviumque genus: Item oves prægrandes Camelis persimiles, è quarum lana vestes gausapinas & alia necessaria conficiunt. Continentur inter hos montes multæ amplæ valles ac profundæ fertilissimæ, ac populo numerosissimæ, cum aëre inferius fruantur calidiore & Incolæ quidem harum vallium cæteris hujus tractus ingeniosiores, & animosiores, ac civiliores sunt. *Andes* sunt etiam montes, sed continua serie producti absque vallibus. Hi à Septentrione in Meridiē porriguntur, & inter hos & alteros montes Collao Provincia clauduntur, quæ sanè vt plurimum montibus referta est, ac frigori subjecta. Montana verò Regio Maritimæ Regioni vicina hominum cultu, vrbium frequentia, soli ærisq; beatitudine longè præstat, ac peculiari idcirco Regū sede, Procerumque habitaculo excoli consuevit. Terra enim omnis egregia clementis cœli temperie adjuta, multò innumerabilium rivorum, amniculorumque quos montes profundunt excursu mirificè fæcundantur; ita vt graminosis vbique viretis letissimè transeuntibus arrideat, & fertilibus passim pratis gravida, omne leguminum genus liberaliter præbeat. Nam præter *Chamoseraſia* & alia ejus generis mora, dumetis asueta, lactucas etiam, Brassicam, Caros, Daucos, Raphanos, magna proceritate luxuriantes, & tenuium etiam mensis vulgares, Amaracum, Nasturcium, Petrosilinum, Salviam, Oxylaphatum, mentam, & invisam Veneri Portulacam, condiendis exulis lautissimas herbas profert.

De quibus vlterius vide D. Franciſcum Hernandem, qui ſcripſit de plantis Indicis vltra 1200. qui liber ex Regis Hiſpaniarum, vt graphicè ederetur in lucem, ſumptu conſtitit 60000. ducatones. Ex quo libro fecit epitomen Dn. D. Nardos Antonias Italus de plantis Indicis, habet & Peru-Bonannas, Camotes, Anannas, Chunos, Mangas, Yanocas, Friſoles, Palares, Calabaſſos, Capallos, id eſt: Radices, piſa, fabas, rapas, pepones: melones & omnis, ac varij generis fructus ſuaviſsimos. Et cætera porrò omnia quæ poſtea ab Hiſpanis ſerentibus ſemina accepit, vberrima referendi benignitate reddit. Verùm ante alia frumentum tanta fæcunditate luxuriat, vt ſi verè proditur, vno ex ſativo frumenti ſextario 50. aut 100. & interdum 200. progignantur: quod eo certè vehementius demirari licet, quod leviſſimam tenuiſſimamq; agriculturæ curam ac rationem exerceant. Agros enim leviter expurgatos, & lolijs evulſis ſarritos, cum aratrum vomeremq; penitus ignorent; non tantò inductis ſulcis ſubruendi glebas occandi, deinde poſt jacta ſemina æquandi labore ſe fatigant Incolæ, quantum noſtri ad fruges ſerendas requirunt: ſed lignea pala modicè vulnerata, humum leniter invertunt; ſcrobibusq; effoſis grana, paſtino ligneo, ſicut apud nos fabæ, deprimunt, quæ terra demum ſuperfuſa condita in ſummam luxuriam prorumpunt. Opusq; hoc diligentius faciunt, ne pſyttaci & papagalli, quorum ineffabilis eſt multitudo, quos illi vt nos Coruos habent, illorum frumentum Maijs in agro vt in Europa Columbæ avenam devorent. Has aves Indi Guaca Maijas vocant. Herbarum frumentiq; copiæ arborum fæcunditas reſpondet, quarũ non illæ modo quas novit Europa egregiè creſcunt, ſed earum etiam plurimas invenire licet, quæ nobis nomine, naturaq; ſunt prorſus incognitæ. Vrbi Cuſco ferè analoga eſt civitas Quito opulentiſsima, decorata Illuſtri Abbatia di S. Matthæo, vbi veri Monachi nigri ſunt & cute & habitu, lineæ Æquinoctiali ſubjecta, nec tamen fervido ſed frigido (quod admirandum) cœlo perfruitur. Ratio eſt, vt ego puto, quia multis marcaſitis metallicisq; ſcrobibus ac ſpiritibus ea terra ſcatet, ideò hauſtus aër, frigidos morbos & intemperiem cauſat. Ejus ager ſemper virens eſt, & omni frugum beatitudine floret. Iſtic Europæi fructus mirificè aluntur, & excreſcunt domeſtica animalia in immenſum. Scatet inſuper auri metallis & Mercurio vivo inſtar reſoluti auri, crocei coloris nobiliſſimo. Hunc puto famoſam illam eſſe primam materiam Alchimiſtarum; duplicemq; Mercurium Comitis Treviſani, ex ſulphure & mercurio; ex anima & ſpiritu, è Pullienſi auro, vtpote vnica ſua radice extractam. Cujus gratia ſe vſq; in Indiam eſſe profectum l. 4. Comes deſcribit. Multum ergò Hiſpanis mercatoribus gratiam noſtri Alchimiſtæ debent, qui modò hujuſmodi mercurium, ab ipſa natura certa proportione jam ad tincturam artis compoſitum & elaboratum vili precio comparandam toti mundo exhibent. Porrò in hoc Regno Peruviano nulla ferè vrbs aliquo nomine ſpectata effertur, quam non inſigni aliqua fodina auri natura ditarit, vt meritò harum comparatione divitiæ ſordeſcere debeant, quas aut Tago, aut Lydorum Pactolo veterum fabulæ adſcripſerunt.

Nam præter inexhauſtas montium arrugias, quis eloqui poſſit, quantum

tum auri argentiq; vim Canalicia, aut egesti fluminis thesauri ferant; quæ rutilantibus arenis & pellucidis vndis, limpidi aureo, quodamque fluxu ruere videntur? Nec in tanta fodinarum copia, Minij, Sandarachæ, & id genus diversi coloris terræ, ad serica, laneaque vestimenta inficienda minerarum venæ desunt. Compertumq; est in libris supputationum Regijs è Peru & Mexico solum in vndecim annis, ex sola minera auri, absq; argento, margaritis, vnionibus, aromatum varijs specijs, aridorumq; frugum decimis, animalium ferarumq; pellibus, carnibus ac piscibus; vltra vndecim milliones auri per solos Pesos recensitam Quinctam Hispanorum Regi accessisse. Sed vtinam tam Indiani, quam alij Nationum populi, illud Boëtij observassent:

NB. Facit autẽ vnus Pesus Hispanica moneta 13. Reales: & vnus Real Galet 10. cruciferos germanicos.

Heu primus quis ille fuit
Auri qui ponderatecti
Gemmasq; latere volentes
Pretiosa pericula fodit.

Tunc non in tam crudelia bella, seditiones, & squalidam servitutẽ exterarum gentium incurrissent. Abundat præterea Peruviana Regio plantis arboreis nobilissimis: inter quas arbusculum quoddam Punico arbori non dissimilis invenitur, quod dum scalpello inciditur, vulnerarium balsamum, medicisque operationibus vtilem ac præcisiosissimum effluit, cujus vnica vncia Romæ, quo primum ab illis oris mundi advecta est, centum sexaginta coronatis venijt. Arbor præterea in eo Regno est, materiè spongiosa, quæ venereos stimulos perdomat, eamq; ob causam Peruani nunquam ex ea ignem struunt, ne ejus calore fumove impotentes in Venerem reddantur. Vtilissima esset ijs, quos potiùs alia causa quam solus Christi amor ad exercitium monasticum adegisset. Nam timor servilis diuturni officij ac disciplinæ delicatus, isq; rarus Magister existit: teste Sanctissimo Patre nostro Benedicto apud S. Gregorium Magnum l. 4. Dialogorum c. 16. Vbi Marco Monacho ad domandas passiones carnis motusq; animi non violentò solum ferro depugnãdum esse persuasit, sed suavi potius suimet ipsius integra ac totali in amorem Christi cordiali resolutione ac resignatione. Abundat præterea radicibus comestibilibus, ijsq; dulcissimis: inter quas primum locum tenet, vt modo appellant Sisarum, Peruvianum, alij verò vocant Batata, Camotes, Amotes, Potatoes: Est & alia planta similis Chrisanthemo, sive coronæ florive solis, in altitudinem vltra octodecim pedes excrescens.

Sed duplici differentia multum à Chrisanthemo Peruviano vulgari distat: secundo quod radix multis pulpis sive tuberculis satis magnis abundet, ad comedendum suavissimis, qui vt Scolimi saccaro, oleo, sale, pipere, butiro pro libidu cujusq; coquuntur, & condiuntur ad escã. Calamus verò hujus plantæ cum reliquis sibi adhærentibus, si adhuc tener est, ac vnius digiti crassus, eum si parum calida bullias aqua cutemq; exuas, aceto, saccaro, sale, conditus, est regia palatui Hispanico *per comen-*

las raices verdes; *lactuca*. His aus similibus puto radicibus victitabant Anachoretæ Patres in Ægypto : Ioannem quoq; Baptistam locustas cum melle sylvestri in æremo viridissimo Ænon ait Scriptura comedisse; sed pauci illas locustas intelligunt; quia minus perspectam habent linguam latinam. Nam locustæ nonnunquam dicuntur exteriores partes animalium, præcipuè Medicis atq; Chirurgis, vtpote articulorum, pedum ac manuum, vel carnis extuberantis in vulneribus curandis apices. Sic eleganter S. Hieronymus in versione textus Evangelici ex græco per locustas expressit extremas plantarum herbarumq; apices, sive bruscum crispum, quem pollicè carpens S. Ioannes melle sylvestri intinxit & comedit; & non illa fæda animalia, ranasq; gramineas, de quibus multi in suis Commentarijs etiam non infimi (quod demiror) Theologi nugantur: Huic declarationi etiam consentit Idioma nostrum germanicum, qui cicadas Hewschröter appellant, id est, à depascendo, dividendo, sive dispartiendo fœno vel gramine sic eas appellant, & non à pavore fœni, id est, Hewschrecken: quamvis ineptè modo lingua vulgari sic vocitentur. Prædictarum verò plantarum atq; radicum Indicarum ex horto mei Reverendissimi Domini Abbatis ad vivum cupro insculptas hic tibi amice lector gratis offero.

In Peruanis montibus quoq; animal reperitur, Peruani Vicunnas vocant, colore ruffum hircis Indiæ Orientis simile; cornua non habet; herbis salutiferis quæ sunt ibi plurimæ, nutritur: fugacissimum est. Lapides Bezuares in marsupio quodam latenti gignit, in qua herbas ruminandas reponit; contra venenum & morbos acutos antidotum. Puer annorum duodecim, hoc invitis Peruanis Hispanos edocuit, is à suis mox fuit ob hoc sacrificatus, adeò Hispanis sua isti invident mysteria. Quale verò sit illud sacrificium, paulò post audies. Et licet plurimis ijsq; varijs Regnum Peruvianum abundet animalibus, equi tamen non modo istic, sed & per vniversum Orbem novum penitus incogniti fuerunt. Verum horum inopiam, quanquam imparibus viribus ad bellum ovium copia supplet, quæ equis officiorum genere ferè sunt pares, & cætera forma torosi pectoris strumam gestant, Camelis persimilem, centum quinquaginta onerum pondus sustinent, & virum in terga sublatum, ad aliquot millia passuum vehunt, eas oves *Pacos & Guanacos* vocant.

Dixi mirificè abundare Peruanos, tam vtilibus, quam invtilibus animalibus; serpentes enim passim in sylvis alit, hominis benè obesi crassos magnitudine, ac longitudinis cubitorum octodecim; item buffones Clipei instar, quos illi innoxiè coquunt, ac devorant. Araneas quoque hæc Regio habet, in quantitate mali Citrij similes: & quod admiratione dignum est, has muscæ ac vespæ, vt in Europa, araneæ solent more contrariò fraudibus suis circumveniunt, atque ad pabulum venantur, tanta ibi est vesparum & muscarum magnitudo, vigor, ac contrarietas. Habent & Cantarides noctilucas, quas nos scarabeos vel muscas S. Ioannis vocamus, eò quod circa solstitium æstivum noctu lucidi circumvolent.

His

Sisarum Peru anum siue
Batata Indorum.

turianthemum Peruuianum radix, germen, flos et caudex.



His Peruani vtuntur noctu pro lucernis, excedunt enim magnitudine ovum anserinum, ac lumen insigne præbent, etiam si per tenebrosas sylvas de nocte Indi iter instituant. Fuerunt & aliqui qui hucvsque Carbunculum de nocte precioſum lapillum lucentem, etiam apud Reges Indos indagarent; nec prius considerantes, vtrũ à natura dari possit. Nam Solius ignis absque violentia retenti & aliti cœlestis privilegium est, atque proprietas lucem exhibere. Si enim ipsis minoribus stellarum corporibus, ab omni fece compositorum elementorum alienissimis, vt quintum ens quoddam ab his quatuor inferioribus sublimatum, hæc lucendi absque Sole proprietas denegata est; quid tu in subterraneis scrobibus, vitreis silicibus, saxis, lapidibusque lumen inquiris. Rubini ergò & Adamantes atque Topasij ignitorum Carbonum similitudinem, referentes; hi sunt, Carbunculi, præcipuè si in vmbra ad lucernam vel ignis eos ad colludentes radios adhibeas. Hispani de hoc Carbunculo magnam diligentiam inquisitionis in Indijs habuere, sed nihil inventum est, præterquam apud quendam Regem Zeilæ, Rubini tabula in longitudine vnius spitamæ, & in latitudine palmæ vnius. Quod verò Scarabei & ligni quædam species putrida de noctu luceant, facit hoc virtus viva negativa & sensitiva, quæ si expiraverit, lũx quoque abit in tenebras.

Vide S. Majoli dies caniculares, titulo lapides.

Nam experientia doctus scarabeos aciculis confodi, ac infra 24. horas emortuis lux quoque abijt; ideò vivos recentes rursũm in oleum de Pinu instar Christalli distillatum injeci, voluique hoc modo spiritum lucentem aëreum incarcerare ac retinere; sed scarabeis mortuis, continuò oleum lucere desinebat. Eodem modo cum ligno putrido practicavi, nihilque profeci; nisi quod globo vitreo hæc cum oleo incluserim, qui cellam meã de nocte suis radijs illustravit, adeò vt commodissimè apud hanc lucernam absque incensa candela legere & scriberc potuerim. Nugatur itaque Scaliger cum Cardano in suo subdilitatum libro: de radijs reflexionum visibilibus in aëre: in ligno putrido &c. atque fabula est Regi Galliarum esse Carbunculum, cujus luce ingens conclave media nocte conspicuum reddatur. Vlterius ex vicina hujus Peruani Regni Provincia Josephus à Costa scribit; ibidem animal reperiri Echino persimile, cujus setæ prælongæ, ac prædurae sunt, colore pallido, aculeatæ, summo apice nigræ, in quibus setis mirum natura recondit miraculum. Cuicunque enim rei consutilis cuspis ejus admovetur, etiam postquam ab animantis cute avulsa seta est, occulta virtute, cum à nemine vrgeatur, sua sponte carnem penetrat, cujus vsus setæ præcipuè mulieribus adhibetur, vt aures perforent, ad appensionem margaritarum & vnionum. Perforatio autem hujusmodi fit nullius prorsus impulsu, quasi motu vitali hæc seta dirigetur; plurimosque citatus autor ait experimentum feciſſe, ac nocte vna crassissimum corium nullo impellente eam setam penetrasse. Hæ setæ pro pigris sartoribus atque ad secandas venas cutemq; phlebotomandam in Europa Tonsoribus acceptabile esset instrumentum, præcipuè pro patientibus delicatioribus, qui sectiones venarum violentas & scarificationes à Chirurgis expavescunt.

Illud

Illud etiam obſervandum eſt, nempè inferorum portas atq; veſtigia in hujus Regni terminis exiſtere. Nam *Cabo del fuegos*, ingens rupes nomine Maſaica videtur, quæ fumum ignem flammeosq; globorũ turbines magno cum fremitu evomit. Os ſpecus iſtius medio milliari Hiſpanico hiare dimenſum eſt. Irridentnoſtri Luthero Calviniſtæ hæretici, ignem purgatorij, eumque monachos excogitaſſe ad incutiendum fidelibus hominibus terrorem, vt largiores amplioresque à Catholicis fidelibus penſiones & eleemoſynas emulgeant; quod quam injurioſum ſit & falſum, vel hæc ipſa Malaica porta inferi atque ſulphurea vorago oſtendit: in cujus fundo ignis perpetuò ebullit inſtar metalli liquefacti: iſtosque hæreticos vel ipſi infideles Brachimannes Malavarum redarguunt. Ii enim in ſuis Fanis horribilem dæmonem depictum habent, immani flammivomoque faucium hiatu animas devorans, à quibus noſtri Pſeudochriſtiani hæretici admonentur, Dei juſtitiam, quam illi populi per hoc Emblema ſignificabant, nihil malefactorum, ſive in hoc, ſive in alio mundo inultum relicturam, quod non à peccatoribus (vt Daniel & Raphael nos admonent) oratione, jejunio, eleemoſyna, expiatum fuerit. *Tob. 12. cap. Daniel 5. cap.* Neque eſt conſentaneum vt Sophiſticè obſtrepent, elementis nullam eſſe in animas quæ ſunt Spiritus immateriales actionem, quaſi verò Lucifer ignem gehennæ non ſuſtineat, qui fuit præcipuus ſpiritualis Angelus in Cœlo, de quo vt fulgur, nempè ſuum ignem jam ſecum vltorem portans, excidere Chriſtus Dominus vidit, atque Ioannes approbat, beſtiæ iſtius atque Draconis corpus è cœlo ejectum, & traditum ad comburendum igni. *Luc. 30. cap. Apoc. 19. & 20. c.* Eſt enim Deo obedientialis poteſtas in vniverſas mundi creaturas, contradictionem non implicantium; eſſentiali & elementali ergò igne hæreticorum, animæ cremabuntur, licet non iſto modo, accidentibus impuro foco. Regnum hoc Peruanum viros inprimis etiam robuſtos & fortes habet, præcipuè ipſi confinis Provincia Chilica; vbi gigantes reperiuntur decem pedum longitudine majores, neque hoc incredibile eſt. Nam ego ipſe vidi Cremophanij quod eſt Abbatia in Auſtria ſuperiori excellentis proceritatis virum. Illic enim Anno 1618. cum meo Reverendiſſimo Domino Abbate Seittenſtôttenſi, Ordinis noſtri Capitulo Provinciali adfui; erant enim ibi congregati convocatique juſſu Sereniſſimi & Reverendiſſimi Archiducis Auſtriæ Leopoldi, clementiſſimi Domini, Domini noſtri Ordinarij Paſſavienſis: tam ſuperioris quam inferioris Auſtriæ Abbates, etiam exempli vtpote Mellicéſis, Gottvvicenſis & alij &c. vbi cum à prandio cum reliquis debitæ obſervantiæ inſervirem; prodigij gratia, per Nobilem Comitem à Liechtenſtein Camerarium, Sereniſſimus & Reverendiſſimus Archidux Leopoldus, funiculo proceritatem cujuſdam ſervitoris illius Monaſterij excipi juſſit, & inventa eſt quinque cubitorum, nimirùm ſeptem cum dimidio pede illius proceritas. Sed planè incredibile eſt, quod Gigantes Sinarum Regi ſint quindecim Cubitorum, vltra quingentos ſatelitio, in aula ipſius perfungentes munere: atque cadaver inventum eſſe molis giganteæ longum ſexaginta cubitorum Majolus ajt: Et licet hi Peruani *Vid. l. die. Cani.*

viri

viri sint robusto corpore insignes, nihilominus patrio more domi sedentes sunt ignavi, voluptatibusq; indulgent, ad gossipium quod illorum est linum de colo fila ducentes, mulierum subeunt servitia; mulieres verò hortos & agros colunt, novaliaque aratris suo more fodiunt, proscindũtque. Imitantes puto illos de quibus Paulus Venetus: Orientis Indiæ populos, qui in tantam Insaniam molliciemque à virili sexu degenerant, vt etiam lecto accubent, vxor illorum si peperit. Illa verò virum lautis ferculis tractat, ac fovet, quasi graviter à puerperio defesso, lassoque decumbenti. Vxor verò interea totam rem domesticam procurat, jubet ac imperat, quod alias, illis toto anno illicitum est; omniaque munia circa virum puerperum suis laboribus vxor subit, præter infantis lactationem; quem postquam vxor lactavit; iterum puerpero Marito in lectum custodiendi gratia committit. Sunt præterea Peruani maximè luxurioſi, vtpote flagitioſi ac pessimi Pædicones atque monstrosa libidine tam viri quam fœminæ perinfames, maximè hoc vitio deditæ sunt mulieres, quæ veneficijs immoderatam libidinem à viris exiguunt; adeo vt non hominis sed equorum naturam appetant, meritoque in has fœminas illud Pasiphae commentum coaptatur, & illud Ecclesiastæ ignis, infernus & vulva nunquam dicunt sufficit. Quæ vnica causa fuit, cur Christiana sacra suscipere cum difficultate magna, aut prorsus omnino nolint; pellicibus suis, quorum magnam copiam habent, minimè renunciare velint.

Hæ enim vel maximè viris juvenibusq; persuadent, præsentibus vti delicijs, neque de futuris & incertis cœli Regnis quidquam curandum, adeoque in nostros S. Benedicti monachos, quod sciebant eos esse cælibes, alijsq; castitatem & honestatem prædicare, turpissimum istarum fœminarum odium excanduit; vt neci complures semel dedissent, nisi milite Hispano protecti forent. Ausimque affirmare ob hoc vitium carnis & molliciei, & majorem hominum partem præcipuè adolescentum & mulierum damnatu iri: sive fideles ij sint sive infideles. Pudet enim hoc vitium præcipuè mulieres confiteri.

Abundat etiam hæc Regio lapidibus pretioſis veluti Smaragdis, Bezoardis, Hyacinctis, Ametistis, Calcedonijs. Posteriorum duorum vidi ego in thesauro mei Reverendissimi Domini Abbatis, quod tu vix credas, miram naturæ subtus terram imaginationem & artificium. Nam in magnitudine vnius castaneæ quinque prætioſi lapides in vna eademque subterranea massa coagulata est; lapidum planè diversarum specierum: nimirùm Ametisti, Calcedonij, Agatis, Iaspidis & Saphiri. Lapides ipsi quoque prætioſi apud Indos Orientales, mercatoribus non venduntur, sed ipsa terra eorum vbi crescunt, sive planicies, non enim è montibus gemmæ eruuntur atque excrescunt omnes, quam terram per vlnas in latum & profundum, vel libra ponderibusque emetiuntur, cujus gemiferæ glebæ, vlna vna quinque venditur ducatis. Sed si gemma invenitur decem Carratos excedens, pro Regis thesauro auffertur, minoribus tamen pondere commutando satis fit mercatori. Sevilijs in Hiſpa-

nia Adamas Ponderis vnius drachmæ venditur, numum aureorum millibus sexaginta, si diaphanus ac benè serenus invenitur. Vidi & alteram gemmam ibidem vt supra quem Opalum vocant, granorum pondo 60. Est autem Opalus gemma in India tantum nascens, colore quidem candida, ita tamen, vt in ea vario modo & Carbunculi tenuior ignis & amethisti fulgens purpura, & Smaragdi virens mare ac ætheris cærulei Saphirus incredibili pariter mixtura transluceant, Et si gemmarum precium spectemus, Opalus videtur omnium precia superasse. Nonnius enim Romanus Senator, cum proscriptus ab Antonio fugeret, Opalum habentem è fortunis suis omnibus annulum abstulit secum; quem certum est sestercijs viginti millibus æstimatum esse vt Plinius lib. 37. c 6. refert. Modo verò ferè contemptui habetur, ac satis multi ac magni, in montibus mineralibus Hungariæ & Transylvaniæ inveniuntur.

Ea parte maris *del Zur* occidua, qua regnum Peruanum alluit Oceanus, intra Tropicum æstivum & Æquatorem penes novam Guineam, quatuor sunt Insulæ, quas Hispani *Islas de los corales* vocant, ibi enim frequentissimæ coralli nascuntur, sicut & alij lapides precioſi.

Quoniam ergò tibi supra de his Corallis medicinam communicare & præparare promisimus, hic sponsioni fidem facio. Accipe igitur corallos rubicundissimos benè in mortario contusos, & in pulverem subtilem cribratos. Huic pulveri affunde acetum vini distillati, vt quatuor digitis, vel quinque supra materiam corallorum acetum emineat: & statim rumor bullitionis fiet, proinde vas vitreum longum, amplum satis assume, ne effluet materia. Stet in calore cineris hæc compositio per horas viginti quatuor, & sæpiusculæ interea lignea spatula agitetur. Altera die, quod solutum & clarum est, in aliam phialam, cautè, ne materia conturbetur defunde; & aliud acetum recens corallis affunde: & sic toties repete, donec satis corallos emunxeris, & eorum essentiam extraxeris. Has extradictiones per acetum collectas distilla in balneo, & remanebit magisterium corallorum album in fundo vitri Aludelis, vel BOTIÆ. Hujus magisterij tincturam, sive quintam essentiam sic deinceps extrahe. Corallorum huic magisterio affunde spiritus vini rectificati, vt supra cum aceto feciſti, digitos quinque; & sine stare in calidis cineribus per aliquot dies, & videbis colore rubeo in spiritu vini extractam quintam corallorum essentiam: & si ad mediam partem hunc coloratum spiritum vini à magisterio prius cautè defusum in balneo abstraxeris; instar rubini rubicundissimam tincturam, & quintum ens eorundē reperies. Huic tincturæ corallorum adjunge supra præparatas margaritas, & sulphur auri, sales, aquasque vegetabilium distillatas appropriatas, & experieris ad instaurandam sanitatem mirabilia.

Ante Hispanorum in hoc magnum Regnum adventum, Peruani populi neque ponderibus, neque litteris aut characteribus vtebantur; sed chordis versi coloribus, quos illi *Quipos* vel *Quipocamajos* vocant, artificioſè è multis nodis confectis atque connexis, quarum domus eorum sunt plenæ, è quibus multorum sæculorum sine vlla hæsitatione seriem antiqui-

antiquitatemque præteritorum ſolerter enarrant. Arma Peruanorum ſunt arcus, haſtæ, & ſagittæ, ex oſſibus beſtiarum, piſcium marinorum, & Cannis arundinibusque craſſiſſimis trium palmorum, lignisvé levigatis duriſſimis atque præuſtis, quorum cuſpides veneno tingunt.

Panem iſti populi de radicibus herbarum conficiunt; præcipuè illorum vicini Braſſiliani panem è radice vnius herbæ conficiunt, Portalacæ magnitudine Yucam appellant. Hæc autem tam lethiferum venenum continet, vt qui illam crudam comederit, repentè moriatur. Illi verò radicem contundunt, contuſam exprimunt, ne quid in illa ſucci illius venenati remaneat. Tum ad Solem exſiccant, Molis deinde conterunt, atque farinam efficiunt. Panes ex ejuſmodi farina facti, non modo ſalubres ſunt, ſed etiam ſciti admodum ſaporis. Alij ex granis Machizij quod frumentum Turcicum noſtri hortulani in Europa arbitrantur, far, libaque præparant, alij verò Panificium quoque ex marinis piſcibus aëre exſiccatis lautiſsimum habent. Machizij præparatio hæc eſt: Grana mulieres pridie frigida aqua macerant; altera die duobus lapidibus conterunt: deinde in vnum coacta maſſa, panes oblongos aut rotundos efformant, & aſperſos modica aqua marina ſaliunt, Cannarumque foliis impoſitos igne coquunt. Et hic plebejus panis eſt, biduoque ſine corruptione durabilis.

Principibus verò illorum aut Sattrapis Regijs magno labore ſic fit: Contuſa grana ſaxis aqua callida abluuntur, inde corticem exuunt, vt pura farina ac maſſa ex granis reſtet. Deinde comminuunt quantum fieri poteſt, & inde confectam paſtam vt ſupra in liba variarum figurarum efformant, quæ in teſtacea olla rotunda vndique igne circumdata excoquunt. Vinum eorum ex radicibus quibuſdam Barbari *Kava* nominant, dentibus fœminarum quæ virgines eſſe dicuntur optimè maſticatis prius ac ruminatis conficitur: certis deinde vaſis de ore radices maſticatas, exſpuunt, & aqua ſuperfuſa fluviali bullire ſinunt, refrigeratum deinceps liquorem percolant, ex quo labore, tam perfectus potus prodire dicitur, vt etiam eos qui potant, inebriet. Has Vindemias præclaras & inſtructa fœmininis dentibus, ſalivisque delibuta torcularia, cum Hiſpani vidiſſent, ſitis ac compotationis omnes obliti, tanquam abſtemij vinum hoc virgineum Peruanum abominabantur, & magis muſtũ Granatenſe Hiſpanicum malorum punicorum huic mero præferebant.

Ex quibus intelligere potes quantum non dico deliciarum, ſed ad neceſſitatem corporis rerum vtilium noſtri S. Benedicti Monachi, nec non Apoſtoli novi Orbis habuerunt, & quam extremam paupertatem, egeſtatem, & agreſtem vitam perferre ob ſanctum Chriſti Evangelium, ac horum populorum ſalutem cooperandam perferre debuerint.

Quis enim tam fætidum olidumque potum durosque panes furfure ac cineribus infectos, non dico edat, ſed digerat? Quis duros crudosque æquoris piſces, ac in condiendis cibis rancidam adipem piſcium olfaciat, aut devoret? & licet vini ac eſculentorum ab Hiſpania

aliquid ſecum advexerint; diuturna tamen jam temporis in his Inſulis ac Regnis converſatione ac mora jam conſumptum erat, & vix vinum pro conficiendo Miſſæ ſacrificio ac infirmis recreandis aliquid ſuperfuerat.

Imò nec aquam, qua ſitim extinguere poſſent, ſufficienter ſalubrem habuerunt: ſed putridam, & infectam fætore ſcatentemque vermibus, quod ex illius regionis cœli plaga ob nimium æſtum citius in vtribus corrumpitur. Hanc aquam cum bibere vellent, percolatam prius, vermibusque excretis, nares claudere oportebat, ne præ nimio fætore hauſtam eam revomere cogerentur.

His omnibus nihilominus ærumnis, ac ingentibus laboribus cum voluntaria Evangelica paupertate difficultatibus exantlatis, erga Chriſtum & proximum charitas omnia vincebat, adeoq; ſancti Spiritus gratia repleti ibant, mittentes ſemina ſacri Evangelij in doloribus & tribulatione; Venientes autem advenerunt colligentes manipulos ſuos tot millium animarum, vſque in hodiernum per poſteros ſuos Confratres diem, cum exaltatione in cœleſtem Patriam deportant. Ob quas virtutes heroicas Fratres chariſsimi, non ſolum lætari debemus, ſed etiam quantum poſſumus has imitari conemur. S. Spiritus ac Religionis nimirum illorum fervorem, patientiam in adverſis invictam; fortitudinem animi perſeverantem. Et licet ad gentes barbaras per immenſa maria non tranſeamus, habemus nihilominus in Clauſtro virtutis palæſtram, in qua nos heroicis exercere, virtutibus poſſumus, atque quamplurima æternæ laudis præconia præmiaque emereri. Et licet pauciſſimi inveniantur, qui non dico interſævientes frementesq; fluctus ac voragines æſtuantis Oceani dijram Scillam atq; Charybdim marinasque belluas magnanima animi ſui virtute mortem irrideant contemnantq;, ac ingentium ærumnarum, laborioſam navigationem ob Chriſti honorem, ac proximi ſalutem vt hi noſtri PP. ac Monachi Apoſtolici ſuſcipiant, non dico diram famem, ſitim, frigus, & æſtum perferant, ſed ne vix quidem exiguas moleſtias, nimis delitioſè & otioſè cuticulam ſuam curantes ſuſtineant: Cujus accediæ meritò tales, qui ſe in almo ſacratiſſimoque Ordine S. Benedicti adoptatos gloriantur ſubpudere debet. Nihilominus multi adhuc etiam ſunt, qui laborem & virtutem adamant, cupiuntque quamplurima atque præclara experiri facinora, vt laureolas pietatis, honeſtatis, & honoris adipiſcantur.

Peruanorum inſuper habitus corporis vel veſtibus alius non eſt, præterquam brevia de verſi coloribus avium, Pſyttacorumq; plumis artificioſè conſuta ſubligacula, nudi enim incedunt ſexus vterque: Corpus herbarum ſuccis depingunt, rubris nigriſque, varia ſpectra fingentes, & quoquis turpiora horribilioraque cuti monſtra appinxerit, is reliquis pulchrior æſtimatur; vnde adeò deformes ſunt, vt non hominibus, ſed dæmonibus ſimiliores appareant, hoſque Hiſpani primò viſos exhorrebant.

Labra, nares, genas, aures, perforant illisque annulos aureos, margaritas,

ritas, vnionesque avium roſtra, & maris conchilia applicant. Statura ſunt mediocri, colore videntur flaveſcere, oculis magnis ſunt, fronte ampla, naribus patulis, pilis craſſis, nigris, longis. Barbam tamen evellunt, ac mentum quodam liquore inungentes, qui barbam renaſci prohibeat. Modo verò Americani qui S. Baptiſmo initiati ſunt, à Religioſis Monachis noſtris humanitatem honeſtatemque edocti à cervice corpus goſſipio, ſirmatibusque pennatis, aut alia materia vſque ad genua coꝛ egunt; eosque Hiſpani hucusque moribus excultos reddidere, vt quem antea veſtium ornatum ſuperfluum contemnebant, modo percupidè & ambitioſè cum honoribus, acquirendisque divitijs adipiſci contendant.

Sunt etiam hi populi mechanicarum rerum egregij artifices, præſertim in contexendis, perizomatibus, de varijs coloratorum avium plumis, & ferarum pellibus admiranda varietate: qui & laborum tam ſunt patientes, vt ſæpiſsimè integro die cibum non ſumant, quo ſpecioſius concinnent & aptent vel vnicam plumam, eandemq; omni ex parte contemplantes, tum ad Solem, tum in vmbra, vt percipiant magis ne recta, an inverſa conveniat; erectis ac inflexis crinibus. Itaq; ex plumis animal quodcunque, aut florem, fructum aut herbam, tanta dexteritate ſic ſuo artificio fingunt, pinguntq; vt videantur rem ipſam ad vivum expreſſiſſe.

Vidi ego cum Græzij in Styria verſarer, Roma imaginem à Sereniſſima ſupradicta Archid. Maria, cum de Nuptijs ab Hiſpania revertereꝛ allatam, quæ S. Mariæ majoris præferebat effigiem; tam artificioſè ex avium, pſyttacorumque pennis confectam, quam ego primo intuitu viſam, depictam credidi, & niſi mihi theſaurarius Archiducalis eam contrectandam exhibuiſſet, non credidiſſem, tale opus præcipuè, vmbras artificioſas, minutiſſimasque lineas ſine pictoris auxilio ſic concinnari & exornari potuiſſe. Eſt etiam Peruana Regno vicina Provincia Parana, quam ſeparat à Braſſilia *Rio de la Plata*, id eſt, argenteus fluvius incolæ Parana vocitant: Moderni verò Geographi *Rio de Parana*.

Hic fluvius verſus Auſtrum immani oſtio in mare ſe exonerat, *Cabo de los Caſtilanes* dictum; in quo freto piſces volantes abundant, quos Boladores dicunt, eosque Pilotæ noctu lucerna incenſa in triremibus ſicut aves ſubtilibus capiunt retibus. Sed quid hic miramur implumes piſces volare, cum idem veſpertiliones noſtræ id faciant; & in Promontorio ſive ſinu S. Helenæ anſeres reperiuntur, quos Incolæ illi Stolicarias aves vocant, quæ abſque plumis ac pennis, ſed carneis membranulis adjuti, (ſunt enim toto ferè corpore implumes ac nudæ) mare circumvolent: Adeò vt ferè hic cum Horatio dicendum ſit, aprum fluctibus, Delphinũ ſylvis appingis. Sed verum id eſſe nautarum experientia docuit.

Quin verò aliud hic tibi narrabo, quod mihi amicus quidam retulit, multarum rerum ſtudioſiſſimus. Is enim dum Neapolis in India verſaretur, ſemel Mellitam verſus navigabat: & ecce ingens multitudo Coturnicum è continente Barbarico ſive Mauritania per mare volabãt,

quæ dum defessæ viribus essent turmatim aliquæ in triremem inciderant cæteræ verò mari iucumbebant, ala vna corpori supposita, altera verò in altum erecta pro velo expandebant.

Idque tantisper sic agitabant navigabantque, donec lassitudo abijt, mox è mari iterum se attollentes reliquum itineris volando prosequebantur. Certò enim tempore anni has aves sic aliunde comigrare compertum est, adeoque sagacis ingenij eas esse ajunt, vt ventos aptos cum suavi malacia expectent, vt si eos lassitudo corriperet, sic partim volando partim navigando sive natando potius, iter suum conficere possint. *Psal. 77.* De quibus puto Scriptura ajt: Transtulit austrum de cœlo, & induxit in virtute sua Affricum; & pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata. Nam etiam turbinibus ventorum in vicinas Insulas maris Siciliani persæpè deponi has Coturnices animadversum est.

Narravimus autem supra, qua ratione Dux Hispanorum Attabalipæ per internuncium rupti fœderis obijceret facinus, à quo nihil responsi Admiraldus accepit. Sed se cum socijs suis contemni vna cum Christiana religione experiebatur. Barbatulos enim pumiliones per ludibrium vocitabat Attabalipa Hispanos. Item claudos, ac debiles homũciones, qui nec ambulare, aut pedestres bellum sufferre, & experiri auderent: sed suis monstrosis Pachis (ita equos, sive Cavalleros appellant Peruani) vt vecors sarcina vecti, eos irridebat. Proinde vt hi inertes quã primum se à finibus proriperent, sui regni seriò ipsis per nuncium mandavit, suam si vitam cutemque salvam aliâs esse velint. Se quoque nec Imperatori Hispano, aut Pontifici Romano Christiani Orbis Monarchis obedire velle. Cœlum denique & Solem & Lunam, cæterosque Deos, quos Peruani colerent, æquè immortales esse, quam Deum Christianorum jactabat.

Ea propter vlciscendi mortem Hispanorum crudeliter occisorum, ac honoris maximi Regis Hispanorum tam augendi, quam conservandi gratia, severioribus in hanc gentem Antropophagam rationibus animadvertendum esse arbitrabatur: Instructa igitur classe triremium omni telorum genere, necessarijsque ad tantum bellum provisis, recensitisq; tam equitibus, quam pedestrium milituum phalangibus, Associatisque Canibalorum, ac aliarum Insularum populis, quos ante sub jugum miserant Hispani, hostesque jurati Peruanorum fuerant, Regnum Peruvianum Duces Hispani invadunt, igne ferroque in eos sævierunt, ipsumq; Regem Attabalipam multis alternatim confectum fessumque prælijs tandem apprehensum ferreis vinculis astringunt. Alij verò Scriptores de hujus Regis Attabalipæ interitu sic ajunt: Hispani commissis in pugnam de Principatu contendentibus duobus potentissimis Regibus Attabalipa & Guascare fratribus, in suam potestatem Regnum Peruvianum illis Regibus artificiosè de medio sublatis, redegerunt. Ad extremum insuper læsæ majestatis, rupti, fractique fœderis reum Hispani Attalipam damnant, eumque funibus strangulando vitam finire jubent.

Talem

Talem exitum hic Rex potentiſsimus Attabalipa ſortitus eſt, ab Illuſtribus Ingharum Regibus, quorum primus, Magocoppa, Rex Ingharum Cuſcovienſem Metropolim, Regiamq; arcem Peruanam à fundamentis extruxit; exortus. Dicitur autem hic Rex Attabalipa fuiſſe adeò dives, vt Hiſpanis pro libertate & vitæ ſuæ redemptione dare voluerit tantam copiam auri, quantum ipſe ſuis bracchijs & pedibus in longũ & latum extenſus, obrui & contegi potuiſſet; ac inſuper cubiculum quo captivus retinebatur, longum pedibus 22. latum 17. ad tectum vſque plenum puriſsimo argento: ſed nihil obtinuit, neque libertatem obtinere potuit. Et poſtquam ſtrangulatus fuit illius corpus in favillam combuſtum eſt. Superſtitio enim apud illas eſt gentes & obſervatio ſacroſancta de ſuis majoribus, qui etſi mortui eſſent, eorum corpora balſamiticis ſuccis, ac alijs artificijs quantum poſſunt, à corruptione præſervãt, & vt Deos tutelares colunt; non ſolum Regnorum ac Provinciarum, ſed etiam privatarum domorum vt jam ſupradictum eſt Patronos. Ex quo nonnunquam crudelia bella, ſed & factiones privatæ ſanguinariæ tumultusque exoriebantur, cum alius alio nobiliorem potentioremque ſe jactitaret, editumq; eſſe Parentibus gloriaretur. Quidam verò aliter ſcribunt; nimirum Attabalipam, Cuſconij fuiſſe ſepultum, illiusque Lararij parietes, pavimentum, tectum, laminis aureis argenteisque obtecta fuiſſe. Regia verò Quaijnacapæ Patris ipſius Attabalipæ, aureis tegulis inſtructa erat. Idemque omnes Imperij ſui aves, piſces, animalia, herbas & arbores ex auro ad vivum, opere fuſorio quo excellunt artifices Peruanj, peritiſsimè exprimi curaverat. Hortum præterea is habuit auro diſtinctum atque ornatiſsimum, ex aureis floribus elaboratum: templumque Soli dicatum, aureis argenteisque laminibus interius contectum parietibus; in ſumma eo loco tanti aurum & argentum æſtimabatur, quanti apud nos figulina ſtatuariorum opera. Sed theſauri iſtius pars potior Peruanorum invidia fuit abſcondita, nec hactenus ab Hiſpanis vnquam inveniri potuit. Sic enim juſtiſsimo Dei judicio fit, vt quo quis magis opes tranſitorias, avarus appetit, quâ veri Numinis gloriam & honorem, proximique ſalutem de his non procurat, eadem ſimul ambo & gratiam Dei vna cum bonis amittat temporalibus. Chriſti verò imitatoribus, etiam à nihilo aurum fluere contingat. Nam Sanctiſsimo Benedicto aurum inſigniter contemnenti id accidit.

Quidam enim nimiò gravatus ære alieno, ad pauperrimum ipſum Benedictum opis cauſa confugit, vt ſua ægeſtate qua ſemper ditiſſimus fuit, ſibi ſolvendo alieno æri ſuppetias ferret. Precibus ad Deum fuſis S. Benedictus, qui nihil auri poſsidebat, miraculo velut, è cœlo apparere juſsit tantum auri quantum ad ſatisfaciendum creditoribus illi homini ſufficeret, liberaliterque illi largitus eſt. Cujus exempli vtinam hodierni Regulares Prælati divites erga pauperiores ſui Ordinis Abbates Confratres ſuos recordarentur, ac fructuoſi imitatores exiſterent, ac pijs vſibus potius quam curioſis politicisque nugis ac fumis, ære ſuo proſpicerent. Curſum verò noſtrum proſequamur; Licet enim hic finis fuerit Regis Perua-

S. Gregor. Mag. P. 2. lib. Dialog. cap. 27.

Peruanorum Attabalipæ, Cuſconienſique vrbe, Caſtro Regnóque Hiſpani potirentur; Nihilominus barbaræ gentis invictus animus, reſiſtere, juraque ſua defendere, ac injuriam Regis ſui vlciſci attentabat. Prælium novum inſtaurant, adeoque mortem bellica virtute præditi contempſerunt, vt quidam, quem gladio traijcere Hiſpanus Indum attentabat, vltrò Peruanus miles ventre gladium Hiſpani incurrens, vt ſecum vna Hiſpanum, quem aliâs lædere non potuit occideret; ac ſuam ſuorumq; mortem vlciſceretur, quod & factum eſt. Nam venenata clava in facie, vulneratum poſt biduum Hiſpanus, exſpiravit. Nondum enim vim potentis veneni, quorum varia genera habent, compertum Hiſpani habebant, atque contra hoc exploratum antidotum. Ea namque vis veneni eſt, vt cum primum ſanguiné attigerit, in viſcera interiora repente vim ſuam mortiferam diffundat; ac intra paucos dies vel horas hominem interficiat. Proindè factum eſt, vt ingens odium in Peruanos Hiſpani conciperent, crudeliſſimeque eos torquerent, donec remedij arcanum contra hoc venenum ipſis patefacerent. Animis ergò Peruanorum indies ab Hiſpanis exulceratis, modis omnibus quibus poterant, Hiſpanos hoſtiliter invadebant, & quoscunque apprehendebant, crudeliter occidebant, ac in partes diſſectos inter ſe partiebantur, igne torrebant, aut cacabis coquebant, beneque aſſatos vt moris eſt illarum gentium ſuorum hoſtium cadavera immaniſſimè ſeſe de illis vlciſcendo devorabant. Dum ergò à ſceleſti hac antropophagia Peruanos, Americanosq; populos cohibere Hiſpani vellent; famoſis gravioribusq; ſuppliciorum exemplis in aliquot publicè ſtatutis eos ab immani abominandaq; voracitate carnium humanarum arcere attentabant. Ex quo factum, vt barbari iſti, ſibi ipſis ſuisque mulieribus & infantibus mortem crudeliter inferrent, ac in montana ſervitutem Hiſpanorum fugientes in ſylvis fame peribant, agri terraque illorũ deſolaretur. Proinde viri Religioſi Monachi S. Benedicti ſeverioribus admonitionibus Duces Hiſpanos admonebant, ne iſtam nimiam ſervitutem & crudelitatem, in iſtos miſeros Americanos Indos exercerent. Vt verò gratis nihil tibi fabulari videamur, ipſius longè ſupra memorati pijſſimi & doctiſſimi Viri Thomæ Bozij teſtimonium afferamus:

Tom. 1. ſigu. Eccleſiæ Dei.

Sæpè inquit inter Chriſtophorum Columbum & Buellium Catalonum, quem Præſulis Eccleſiaſtici nomine ac poteſtate Alexander Sextus ad Indias miſit, contentiones honeſtæ exoriebantur; quod Buellius nimirum ſæpè contendebat, ne in gentes illas à noſtris aliquomodo ſæviretur: Belluinis namq; factis belluas omnes ſuperabant. Nam quæ beſtiæ ſui generis beſtias devorant, vt illæ mutuò ſeſe comedebant. Quæ beſtiæ filios ſuos alunt, vt pinguiores & adultiores effecti ſint, Parentibus (horrendum dictu) pro cibo. Quocirca vt aliquis Hiſpanus fuerit aliquando in illos crudelis, tanta certè quidem immanitas erat illorum populorum, vt ad humanæ naturæ ſtudia revocari nullo modo poſſent, niſi editæ fuiſſent in illos exempla illuſtriſſima ſuppliciorum atrociſſimorum, quæ tamen Epiſcopi Religioſiq; noſtri cohibuerunt. Hucvſque præfatus autor.

Proinde non ſemel ſed multoties à Religioſis Monachis diſceptatũ eſt,

est, cum Regij senatus assessoribus vtrumne armis vel benevolentia Indiani Americani ad Christi fidem perducendi essent. Clementia & benevolentia asserebant Monachi. Atqui cum in Provinciam quandam humiliter & mansuete Evangelium prædicandi gratia aliqui Monachi se contulissent, à barbaris trucidati & devorati sunt. Propterea in consilio consultum & statutum est, vt supplicijs prius à sua bestialitate corrigerentur, hominesque prius quam Christianos facere hos Antropophagos oportere. Ac vt Religiosi consueverunt, de mundo ad vitam monasticam accessuri cum illis procedendum esse. Prius enim statum animalem excolut, qui rudis adhuc est, nec dum percipit, quæ sunt spiritus Dei; sed circa corporis compositionem, adhuc maximè occupari est necessarium, vt illud ad honestatem humanitatemque redigatur à nefarijs concupiscentijs, & pravis malorum morum consuetudinibus: Deinde rationalem incipiunt vivere vitam, quæ dignior pars est hominis, & per quam à cæteris discernitur animalibus irrationalibus vt mens, & ratio hominis conformetur per cognitionem intellectus, ad cultum divinum ipsiusque fidem, spem, & charitatem &c. Hoc modo cum Americanis quoque fieri debere, libri de procuranda salute Indorum Hispanienses Doctores Jurisque consulti affirmabant.

Quod verò ad Religionem Christianam hoc tempore spectat; Occidua omnis India in tres Archiepiscopatus est distributa, quorum Metropoles S. Dominicus, Mexicum, & Regium.

Prima Civitas sex habet Episcopos Suffraganeos, Cubanum, Boriquensem, Hondurensem, Paramensem, Carthaginensem, & Sanctimartanum. Altera septem: Xaliscanum, Mechoacanũ, Guaxacanum, Thasculanum, Guatimalanum, Chiapensem, & Nicaraguanum. Tertia Metropolis tres habet Suffraganeos Episcopos: Cusconiensem, Quitonensem, & Charcasensem; quorum omnium Archiepiscopatuum & Episcopatuum vnus Castellæ Rex Hispaniæ est Patronus atque Privilegiatus à summo Papa Romano Collator, Politicus Magistratus sic constitutus est. Cuilibet Provinciæ præficitur à Prorege, qui summus est omnium in India Magistratus Gubernator. Prorex verò jussa exequitur, secundum quod sibi supremus Indiæ Senatus à Rege Hispaniarum Sevilijs institutus significat. In Cuba est Gubernator, & in Hispaniola sive Spagnola est Cancellaria. In Mexico quoque est nova Cancellaria, & in nova Gallia est audientia, & quatuor Iudices. Guatimula Iucatana, & nova Granada quoque Cancellariam habent. Regij verò est supremus Regni Peruani Senatus, in eo præsidet Prorex ab Hispaniarum Rege ordinatus; ad quem Proregem ab omnibus Indiæ Tribunalibus in causalibus appellatur. Cum verò malorum omnium in rebus publicis infamis avaritia, cum libidine dominandi aliquos Hispanos invaderet; pecuniæ namque vt quidam ajt dominandique cupiditas sunt quasi matrices omnium in Republ. malorum; per quæ non solum Regnorum eversiones ac omnis civilis disciplinæ turbationes proveniunt; sed & tota judicij & justitiæ majestas collabitur, fides probitasque evertitur; ac pro his perfi-

dia, fraus dolus, impietas, crudelitasque introducitur, ex quibus pestibus factum est, vt nostri Hispani in novo Orbe sibimetipsis dissentirent, Regique suo ac legitimè sibi Præposito Admiralio renunciarent ac rebellarent, contentionibus ac novis belli factionibus cum insigni Christianæ Religionis ac Regiæ majestatis Catholicæ dedecore ac detrimento, mutuò sese impeterent, atque bello conficerent. Idcirco in hos Rebelles ac sceleratos milites Hispanos, & his qui se illis adjungebant Indos perfidos Christophorus Columbus Admiralius crudele crucis supplicium statuerat, quam plurimosque palo affigi jussit. Quod factum indignè ferebat, vti par erat; licet noxij ac rei supplicium meruissent, inprimis noster Buellius Patriarcha ac Monachi S. Benedicti, ipsumque Columbum fulmine Ecclesiastico horribilis excommunicationis feriunt, vt vel hac ratione moderatam gubernandi rationem, post tot admonitiones addisceret. Et quod caput erat, signum S. Crucis vnicum Christianorum precium, decus & ornamentum, attentius veneraretur: quod tantopere Constantinus ille magnus Romanorum Induperator honorabat, ne quod ille magnus Dictator & Triumphator gentilitatis, in signum honoris & dignitatis statuisset, ac vendicasset, atque super diademate Regum exaltasset. Hic cum insigni dedecore Christianæ Religionis, rursum coram tot barbaris, gentibus Indorum, in signum scandali & supplicij, & quidē in Christianis hominibus illicitè vsurparet. Factum enim est per has supplicíorum crudelitates à nostris Coronellis militibus Ducibusque Hispanis, idque cum summo detrimento tam Ecclesiasticæ quam Politicæ vtilitatis ac commoditatis; vt Indi multoties rebellarent, attrociaq; cum Hispanis bella conficerent. Adeoque illarum Regiones desolatæ fiebant vt cum primitus superius descriptam Insulam Hispaniolam, vigesies centena millia hominum incolerent, postmodum vix quingenti ibi supervixerint.

Multi enim seipsos Indi ob nimiam Hispanorum avaram tyrannidem, infami suspendio, aut inedia, in sylvas diram servitutem fugientes cum vxoribus, & liberis se peremerunt; Etenim domum ab aurifodinis venientes, aut margaritarum piscationibus, nisi injunctum pensum attulissent, aspera verba inprimis, deinde verbera, oleoque ferventi dorsum adurentes sexaginta aut septuaginta ictuum insuper per Hispanica strapada loco cænæ ipsis miseris indis porrigebatur. Meritò igitur indignati pij bonique Religiosi Monachi ac Sacerdotes Dei hujusmodi crudelitatem tyrannidis, tandem pauperculis Indis Anno 1552. à Iulio tertio summo Pontifice Hispaniarumque Rege Catholico securitatem atque à mancipij sclavorumque jugo plenariam libertatem impetravere. Porrò ipse Christophorus Columbus Admiralius pius Princeps atq; Catholicus, optimè illud noverat, initium bonorum operum esse in transgressoribus confessionem operum malorum. Ipsique Patriarchæ Buellio fit supplex, procuratoremque absolutionis ab Anathemate Petrum Margaritam Insulæ Divi Thomæ Prætorem, cum alijs viris nobilibus Hispanis ad eum destinat, rogatque vt vinculo excommunicationis Admi-

ralium

16.

ralium absolvere dignaretur. Qui omnem deinceps crudelitatis vindictam emendare polliceretur. Ac protinus corpus de cruce Caspari Feriz Arragonij, quem in crucem cum pluribus alijs agi jussit, celeriter ipse Columbus ad sepulturam deponi jubet. Ad quod resipiscentiæ argumentum Illustrissimus & Reverendissimus Patriarcha Buellius, brevia ac digna satisfactione præmissa in pristinam Ecclesiæ gratiam ac sacramentorum communionem Admiraldum absolvendo restituit. Circa quam Historiam egregiè mentitur Theodorus de Bry & in margine foli citatus autor Hieronymus Benzonius ambo vt auguror, Hæretici Calviniste, qui vt sordidissimæ Harpiæ omnia despurcant: Ajunt enim nostros Religiosos S. Benedicti Monachos, dum Patriarcham Buellium inedia mulctatos fuisse, ob illatam excommunicationem, donec Admiralium ab Anathemate absolvere promisissent. Atqui majorem reverétiam tantæ autoritatis Præsuli, tam Pontificis Romani quam Hispaniarum Regis in illas Insulas rerum sacrarum Vicario atque Legato ipsum Admiralium exhibuisse, quam isti Hæretici barriunt, planè affirmandũ est. Taceo hominum fidelium Catholicorum in suos Ecclesiasticos Pastores, & Patres, vel in ipso S. Baptismate infusam modestiam; qui non tam perfrictæ frontis, vt ocliti hæreticorum Hirci assolent, arietare: Sed vt agni obedientes omnem modestam & honestam in suum Clerum exhibent propensæ voluntatis submissionem. Sciunt enim optimè Christiani Catholici illius Prophetæ de animarum Pastoribus observandam doctrinam. Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodie super gentes & super Regna: vt evelles & destruas, & dispersas, & dissipes & ædifices & plantes, &c. *Ieremi. 1.*

Ex qua causa factum est, vt Admiralius sicut devotum Ecclesiæ Catholicæ filium condecebat, (licet lapsus sit vindictæ desiderio indiscreto) vt ipsi Patriarchæ Buellio, in omnibus deinceps obediverit sacris admonitionibus; pium mitemque se erga Americanos, exhibuerit. Multa præterea supradictus de Bry: Quam ipsimet Holandi de suis rebus ac Indicis navigationibus mentiuntur præcipuè, qua ratione quidam perditus & scelestus miles ob scelera in Provinciam Charcas pœnam supplicij declinans ab Hispanis auffugerit, qui miraculosè per signum Crucis à se erecti pluviam à Deo impetravit; Item de quadam peregrinatione quã Cabeca de Vacca quidam peregerit, & multos signo Crucis signaverit, qui ab incurabilibus morbis sanati sunt. Quos effectus sacros Religiosos Monachos & Sacerdotes fecisse & non scelestos milites aliũndè constat. Præterea vide parte 7. Orientalium navigationum in Regno Celon Regali civitate Matecalo, & Vintana & alibi: qua ratione à Regibus Indicis semper scilicet magnificè Hollandi excepti sint, nugantur: quasi verò tanta Holandorum nequissimorum Calvinistarum progenies præ Portugalensibus Hispanicnsibusque viris honore prælati sint ab Indicis gentibus; qua ratione etiam Monachi processiones instituant, supradicti fabulantur, quorum Abbas in Elephanto vt Idolum sedeat, auro, militibus, musicisq; instrumentis comitatus à populo; quod in odium Catholicæ Religionis & ludibrium æneis figuris & typis sicut & a- *Vid. l. 7. histor. moral de Indiæ Austral. Theod. de Bry.*

lia imperitè multa vanaq; hic sycophanta suis scriptionibus Historicis inseruit. Sed ad propositũ redeamus : Licet ergò aliquos Indos crudeliter ab Hispanis punitos audiveris, ea tamen supplicia promerebantur quãplures. Adeò enim Peruani populi cum vicinis sibi gentibus crudeles sunt, vt quos superius Canibales prius à se occisos mortuos homines devorare soliti sunt; isti adhuc vivos in suis sacrificijs semimactatos palpitantiaq; cadavera devorare incipiũt. Sed proh scelus ô crimen, hoc quid miramur, nuper enim in oppugnatione castri Posonienfis rebelles Hunni Calviniſtæ, legitimo Regi suo ac Imperatori Ferdinando ipsis Americorum Antropophagis ferociores, plus quam caninis beluinisq; dentibus, germanorum militum corporibus dissectis, exenteratum cor assum aut lixatum, odio quo immani flagrant, erga nationem Teutonicã dilaniabant, ac vt à plurimis relatum est devorabant.

Promisimus autem supra tibi enarrare modum sacrificandi istorum Antropophagorum qui talis est. In suis solennioribus festis captivos, vel alios nocentes aut ad hoc coempta mancipia, vel raptos ex proximis Insulis sibi inimicis homines in Fanum suum diabolicum adducunt; deinde Pseudosacrificans Sacerdos, cum statua quadam diabolica venit ad ipsos captivos miserisq; Idolum ostendens ajt: Ecce Deus vester; postea miserabiles hostiæ ad superius quoddam pavimentũ ante aram dæmonis deducuntur; vbi lapis est instar piramidis supra hoc saxum continuò sacrificuli hominem sacrificandum in dorsum supinum proijciunt, duo pedes duo manus, alius caput collũq; fune firmiter extendũt, adeo vt spina dorsi ac vertebræ concrepent: mox summus Sacrificans Sacerdos cultro acutissimo instructus accedit, ventrẽ rumpit ad pectus vsq; dissecat, cor palpitans ac calore fumans eruit, ac Idolo Solis ostẽtat illiq; in fauces proijcit; corpus verò per scalam quæ pavimentum attingit, ruere sinunt; illud verò cadaver illi accipiunt, quorum hæc hostia ad sacrificandum fuit Sacerdotibus exhibita, ac coctum assumq; virum devorant, hilaria cum amicis celebrantes. Hujus itaq; criminis Sacrilegi, cũ Hispani Americanos prohibere vellent, bellum Mexicanensibus indicunt, pugnatum vtrinq; fortiter, plurimis Indis occisis, nihilominus Hispani multitudine obruti sæpissimè ac 70. viri ex illis à barbaris capti sunt; quos & continuò reliquis inspicientibus sacrificarunt. Sed & in Tezeuco in pariete cujusdam domus Hispani atro carbone notatum, hoc lamentabile memorabileque scriptum ac monumentum invenere. Nimirum hoc loco captivus aliq; diu detensus fuit, latuitq; cum socijs suis quem Tezeucenses sacrificarũt: Juvenem vnum præstanti forma ac fortitudine militem Hispanum vivũ exenterarunt, cor extrahentes illiusq; corpus per scalam deijcientes, qui hoc modo nos affabatur. *O Cavelleros muerto me han*, id est: O vos equites ipsi me occiderunt; hoc crudele factum adeò Hispanos commovit, præcipuè quod jam eviscerato corde hæc locutus sit illorũ patriota Hispanus, vt deinceps in vltionem severiores erga Americanos existerent debellatos &c. Historia hæc esset incredibilis, nisi Galenus idem in animalibus brutis factum esse in sacrificijs gentilium atteſtaretur: & quod magis mirum, ea animalia ablato corde notabile viæ spacium aliquando

Vid. Gal. l. 2. de Hyppoc. &c. Et Platon. Plac. cap. 4.

proces-



processisse. Verum vtrum Anatomicis consentiat obsservationibus alij disputent. Audi verò vlterius gentium novi Orbis stupendam crudelitatem: Sunt enim in proles suas adeò feri ac truculenti, vt ijs occisis sanguine illorum cum farina Machiziana pultem conficiant, ad effingendũ suorum dæmonum quos adorant, idola & simulachra,. Plurima enim eaq; magnifica Peruani & Mexicani populi ad cultum suorum idolorũ templa habent: Erat enim juxta Regiam aulam Magocappæ de quo supra dictum Ingharum Regis Fanum Solis ipsis patrio idiomate Punchao dictum intus totum aureis laminis vestitum. Ac in diversis ad partem Atrijs, quæ nos Capellas dicimus magnificè extructis, aurei quos illi colebant arietes, aves, capræ, serpentes & varia dæmonum deformia spectra. His Delubris ac Sacrilegis aris, inter nobiliores ac corpore venustiores ducentæ lectæ Virgines erant inclusæ, quas illi Mamocas Peruana lingua vocant, famulitio dæmoniaco mancipatæ, vt olim Vestales apud Romanos quæ ignem thura & sacrificia obsservabant, & Guaccas quæ Peruanorum delubra sive Idola sunt, curabant, custodiebãtq;. Inæstimabilis enim precij, & innumerabilia singulis annis ipsi Fano Solis ibidem offerebantur munera. Hæ virgines perpetuam castitatem servare tenebantur. Et si fortè flagitio aliqua polluta fuisset, continuò eam dæmones prodebãt, ergastuloq; inclusa fame & squalore aut suspendio enecabatur. Miserabile verò spectaculum ac scelus gentium Mexicanorum fuit, adeò ille latro & mendax ab initio crudelissimus Cacodæmon à recta luminis naturæ via Procresi ac Gnomi has gentes abalienaverat & excecaverat. Singulis enim annis, à dudecim vsq; ad viginti millia infantum corpora Sacrilegis dæmonum aris immolabant. Exenteratis visceribus erutoque corde adhuc palpitante gratu dæmonibus suffumigium super prunas sacrificulæ Sacrilegi cremabant. Sed Petrum Martyrem Mediolanensem omnibus numeris de his populis absolutum historicum audiamus.

Ad milliaria centum circiter versus Zephirum Sinum; ingentem reperiunt Insulam Hispani, in quo tres parvæ Insulæ sitæ erant (quas Sacrificiorum Insulas Geographi vocant) adeunt grandiorem: Prôch crudele facinus! prôch truculentes hominũ mentes, stomacho claudat portas quisq; pius ne perturbetur. Pueros puellasq; suis Dijs immolant passim, sunt recutiti. Simulachra quæ colunt, partim sunt marmorea, quædam alia sunt fictilia. Marmoreas inter imagines extat leo pertusa cervice, in quam miserorum sanguinem proijciunt, vt inde fluat in lacunam marmoream. Quibus cerimonijs miserorum sanguinem litent referamus. Non jugulis sed pectoribus apertis ex infausta victima cor eruunt; ex cujus calido cruore idolorum labia illiniunt, reliquum fluere in lacunam patiuntur. Inde in apertum cor & exta sæviunt, ea comburunt, gratum fumum Dijs forè arbitrantur. Ex idolis vnum est virile, quod inflexo capite lacunã sanguinariam superinspectat, tanquam acceptans sacrificium. Torulos bracchiorum, fæmorum, ac surarum pulpas edunt, præcipuè si hostem bello victum sacrificaverint. Rivum concreti sanguinis veluti ex carnificina exeuntẽ canalibus excipiunt. Ex Insulis vicinis, ad id facinoris miseros transportant, capita cadaveraq; ibi truncata vide-

runt innumera, Hiſpani hoſtium in bello captorum oſſa, poſtquam illos ſacrificaverint, ſuis Dijs Idolisvé carnibus exeſis in faſciculos ligata ad pedes ſuſpendunt, veluti victoriæ trophea.

Quo tempore ſpicat ſeges, aut ſemina legumenum in terram jaciunt; ſervos aliquot precio emptos, aut captivos quos ex proximis Inſulis rapuere, lautiſſimè depaſtos prius ac pinguefactos, ſuo more precioſis veſtibus ornant, ſuis Delubris quæ victoriarum in bello, ac frugum terræ, aliorumq; beneficiorũ largitores autumant, more ſupradicto ſacrificandos deſtinant; atq; per dies viginti immolandos circumducunt, tranſeuntes per vicos oppedani, eos ſuppliciter ſalutãt, veluti inter cælites propediem annumerandos; qui modus ſacrificij omnibus ferè populis illarum regionum acceptus eſt. Alij verò ne quid ſuæ quoq; pietatis abeſſe aliquid videatur; proprium ſanguinem etiam litant alius è lingua, iſte de auribus vel labijs, ille de pectore, bracchijs, cruribus, genis, naribus, acutiſſimis novaculis & aciculis cutem pungentes & præſcindentes; ſanguinem emungunt; quem manibus acceptum rotatim proijciunt in cœlũ, ac templi pavimenta, aras, ſacrilegáq; Idola conſpergunt, atq; ita propitios & placabiles ſibi forè Dæmones arbitrantur. Vnde S. Iſidorus lib. 8. Etymol. adeò, dæmones ſanguinem in ſacrificijs ajt appetere, quia divinum honorem æmulantur & concupiſcunt. In veteri enim teſtamento, nihil ſine ſanguine expiabatur, ſicut & Chriſtus Dominus Sacerdos Sacerdotum, ſemel per proprium ſanguinem in Sancta Sanctorum introivit, æterna redemptione inventa. Sed & Necromantici ad placandos dæmones ad ſua veneficia ſanguinem adhibere ſolent.

At cur ô nequiſſime latro, in hominum genus beſtia crudelis, cur inquam fædiſſime Sathan honorari ſanguine humano tantopere delectaris, quos tuo, (quem nullum habes) ſanguine redimere potuiſti? Adeoné hirſutus & turpiſsimus veri Dei modo Simius factus es, vt tu tibi corda hominum humanumque ſanguinem arroges, quæ tu corda & corpora creare & beatificare non potes? Num tibi cordialiſsimi hominum affectus & devotionis ſacrificiũ placet, quod ipſe Deo creatori tuo offerre ab initio mendax factus apoſtata recuſaſti? Atqui vide O fædiſſime Cacodæmon, jam hi ſtupidi, bardi, fædi nigri, barbari ſpurciſſimi, ſceleſtiſsimique & humanarum carnium voratores Miſeri Americani, Regnum ex quo tu fuiſti ejectus poſident. Et à Chriſto agno domitore tuo per ſanguinem ſuum quem ex virgine ſumpſit, Deus factus homo, redempti ſunt; abluti ſunt; & à peccato ſanctificati ſunt: nonné te putuit divinos affectare honores, vt tibi corda eviſceratorum, & ſanguis immolaretur calidus. Cum nihil tibi vel alijs inde nec laudis nec emolumenti, his qui te Idololatricè coluerunt, aſſequi potueris; ſed potiùs modo inſignem atque ingentem fraudium tuorum atque hypocriſiæ fætorem atque pudorem in æternum ſuſtineas.

Sed vlterius audiamus ad quam non inſaniam hos Occidentis Indiæ populos redegerit Sathan, ſiquidem fraudulenti Cacodæmones eam mentiebantur Religionem; nimirum in altera poſt hanc vitam ſuis frui poſſe

posse divitijs, vxoribusq; ac omni rerum voluptate & abundantia, quam in hac vita possedissent & acquisivissent, dummodo ea secum cum emorerentur consepelirent. Idcirco sæpius factum, vt cum fortè divitijs pollens, aut sibi perchara vxore vir quisquam potiretur, moriturus vivam vxorem secum cum thesauro cibo potuque consepelire Patria jam consuetudine recepta testamento mandaret. Ex quo infinita multitudo miserarum fœminarum, vna cum anima & corpore peribat. Addit Petrus Maffæus hanc consuetudinem testandi & sepeliendi etiam in Orientali India receptam fuisse, Imò si quæ vxor hoc facinus apud illos præclarũ abnuat, neque in rogum mariti sui aut conflagrari vel consepeliri velit, summo dedecori habetur, neque amplius inter cæteras fœminas, taceo vt nubere possit, denuò cohabitare permittitur; sed domum ingredi cogitur occlusam, quæ pro talibus mulieribus spacioſa, vt Seraglium Turcicum extructa est, vbi sine honore miserrimè vlteriorem vitam traducat.

Hispani verò, cum hunc ritum sepeliendi Peruanorum cognovissent, multa sepulchra dirruebant, thesaurosque absconditos effodiebãt. Quod cum Barbari comperissent, licet egre, ac molestissime hoc perferrent; nihilominus illud duntaxat Hispanos rogabant, vt mortuorum ossa sepulchro intacta relinquerent, eaque minimè dissiparent: ne in resurrectione corporum, anima eorum diu, longè, lateque ossa dispersa inquirere cogeretur. Credunt enim animarum immortalitatem, & carnis resurrectionem. Cujus meritò Averroistas subpudere debet: dicit enim ille Sophista, quod anima humana, & intellectus non est forma corporis secundum esse conjuncta; sed est vna substantia separata, quæ est vna omnium hominum. Et similiter; quod intellectus est vnus omnium hominum actu ab ipsis separatus, sed tamen conjunctus secundũ operari. Sed hæc Hæresis à Catholica Ecclesia reprobata est. Quæ dicit quod anima humana, quæ dicitur intellectus: substantialis est forma à Deo creata, & immortalis corpori humano organisato infusa, & secundum esse conjuncta, faciens vnum secundum esse, & operari cum corpore, quamdiu illi conjuncta est.

Portum tandem Historicæ narrationis vna cum Galleone nostro bone lector jam semel subeamus. Hi itaque sunt mores, hi ritus fuere patrij barbarissimarum gentium. Indiæ Occidentales Novi Orbis, aut vt vocant Americæ. Quos populus ad morum comitatem humanitatem, honestatem, ac sanctam vitam Christianam Religiosissimi Monachi, Principe Buellio Catalono Abbate Ordinis S. Benedicti erudierunt, atq; vt servi boni & fideles, ipsis concreditum talentum, non sudario negligentiæ aut otio ignavo involuentes sacrum Evangelij talentum, sed magnis sudoribus, algoribus & laboribus multiplicaverunt, centesimumq; fructum Christo & ipsius Ecclesiæ Catholicæ fideliter cum spiritali lucro obtulerunt. De quorum Apostolicorum virorum virtute si quis cũ alijs rebus & gestis plura desiderat, legat in contextu hujus navigationis citatos autores, quibus addere potest Epistolas Ferdinandi Cortesij, de novi Orbis Insulis nuper repertis &c. Ego librorũ egestate pressus, scribere

bere aut dicere plura non potui de hac noſtrorum Monachorum in Americam per Alexandrum ſextum Pontificem inſtituta expeditione. Quorum acta & facta, ſine dubio ſi diligenter annotata fuiſſent, magni voluminis liber in lucem prodiiſſet. Repetantur itaque ab alio me potiori & opulentiori Bibliothecæ Italicæ & Hiſpanicæ; ſine dubio aliquid, & non panca eaque minuta inveniet, noſtrorum Religioſorum in converſione ad fidem Chriſtianam Indicarum gentium præclara ſtudia geſta atque facinora.

Intentum meum hoc loco tantum eſt, vt demonſtrem Monachos, S. Benedicti primos, & Primates Archiepiſcopos & Vicarios S. D. Papæ fuiſſe in totam Americam (de quibus in hunc vſque diem ſoli & ambitioſè nimis aliqui gloriantur.) & ibidem Epiſcopos, Præpoſitos, Decanos, Paræcianos novi Orbis conſecraſſe, ordinaſſe, & inſtituiſſe Eccleſias nempè, qui ſuper alios Clericos, & Ordinum Fratres ſupremum habuerunt in ordinantis, & inſtituendis Americanis Eccleſijs, & Monaſterijs Officialatum, Jurisdictionem, ac ſpiritualem Principatum. Quod tibi jam ſatis ſuprà demonſtravimus teſtibus. Si in alijs fluctuat, Nautica narratio, adſcribe vt ſuprà dictum, penuriæ librorum, & corrige, quæ minus ad normam dicta ſunt.

Si quid noſtri Monachi S. Benedicti in Orientali India ad Chriſti fidem propagandam geſſerunt. Vti non dubito ea fuiſſe præclara & laudabilia, mihi tamen hucvſque incognitum eſt. Præterquam quod Petrus Maffæus Portugalenſium in Orientali India rerum geſtarum ſcriptor ajt; onerariam navem cui S. Benedicti Nomen erat in Promotorio Bonæ ſpei fluctibus perijſſe, eo quod deploratam ſentinam duceret, ac ſuperfluis miriſticarum ſpecierum oneribus oppreſſa diſrupuerit. Proinde ſi quid aliud de noſtris noluit proferre Monachis, etiam in hoc ſuis cartis parcere potuiſſet.

Porrò Matthias à Micho de Sarmatia Aſiana lib. 1. c. 5. ajt: Ex Concilio Lugdunenſi celebrato ſub Innocentio quarto Pontifice, miſſos eſſe Monachos ad Tartaros majoris Aſiæ Chriſti fide initiandos: ſed ordinē non ſpecificat. Scribit etiam Haithonus de Tartaris; fuit autem hic vir præclarus à Regio ſtemmate Armeniorum oriundus, & Regibus Tartarorum familiaris, quorum ſæpius dicit ſe interfuiſſe, inaugurationibus eorundemque electionibus, multosque ibi eſſe Chriſtianos, maximè in majori Aſia Orientali. Haithonus iſte Ordinem Præmonſtratenſium ſuſcepit, in Regia Inſula Cypri, Anno 1305. in Monaſterio Epiſcopæ dictum; qui Monachi ibidem & alibi adhuc eo tempore omnes ſub Regula S. Benedicti vivebant. Anno prærerea 1604. Clemens octavus ſummus Pontifex, miſit autoritate Apoſtolica Orientalem verſus Indiam, duos Religioſiſſimos Monachos Sacerdotes, Ordinis S. Patris Benedicti Congregationis Camaldulenſis. Hi Perſiam & his vicinos Indos Evangelica prædicatione informarunt. Sed quid profecerint, aut præclarè geſſerint in Regionibus illis, ad meam nondum notitiam venit, aut in codicibus reperi. Si quis plura novit, his addat; honorificum enim eſſe

Dei

Dei Opt: Max: opera revelare Archangelus Raphaël nos pridem jam docuit. Quapropter confitemini Domino quoniã bonus; dicant qui redempti sunt à Domino, populi quos redemit de manu inimici, & de Regionibus in Catholicam Ecclesiam congregavit eos, quoniam in sæculũ, & à sæculo misericordia ejus. Hortorque si quid mea proficere potest adhortatio obsservandissimos P. P. ac F. F. vt in hoc opere Dei impigros vos exhibeatis, & mactè virtute animos viresque patientiæ, fortitudinis ac abstinentiæ assumatis, si Ecclesiæ Catholicæ sacri Pontifices in gentiũ ac populorum conversionis opere vos vti decreverint; sicuti non modo in Austria, verum etiam alijs Regnorum Provincijs, in partem & solicitudinis curam pastoralis officij, Ecclesiarum Episcopi de facto vos adhibent. Scitis enim jam inde ab exordio nostræ cõgregationis hoc magnum virtutis & Religionis opus, in Christo Parenti nostro Sanctissimo Benedicto curæ fuisse, vt omnis error fidei Idolorumque cultus, ac scelerum impietas ab Ecclesia Dei hominumque cordibus profligaretur. Quid enim portentum illud aliud connotabat, quod S. Gregorius Papa Magnus secundo Dialogorum libro affert, quo sub vno Solis radio, totum hic Orbem vniversum vt alter Paulus Apostolus in cœlum raptus ac divino lumine irradiatus contemplabatur Benedictus? nisi quod futurum erat, vt ipsius Ordo in totum mundum dilataretur? & in salutem gentium per Evangelij prædicationem vsque ad extremum terræ ampliaretur? Extendit enim palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines ejus.

Nonné hic Patriarcha Monachorum beatissimus Benedictus reliquias Idololatriæ gentis Italicæ à monte Cassino sustulit? nonné mendacis ab initio Caco Apollinis aras lucosque evertit, atque succendit, ac circumquaque Oppidanos ad Christi fidem sua ferventi Evangelij prædicatione convertit? Nonné postrema sæcula primis initijs temporum nostræ Religionis S. Benedicti correspondent? dum Reverendissimus & Illustrissimus Patriarcha Buellius nostriq; Confratres Americanis gentibus lumen fidei Catholicæ prædicarent, ac mendacem illum Apollinẽ, & sanguinarium dæmonem, qui in Magocappi Regis Fano vt supra audivistis per Solis simulachrum vt alter Apollo Delphicus Idololatricè sacrilegeque colebatur deturbarent atque expellerent. Quare præclarè factum cernimus, vt quod initium Religionis nostræ fuit, id etiam his vltimis jam senescentibus multaque canitie malorum omnium infectis temporibus eadem constantissima conservatæ & propagatæ fidei Catholicæ à nostri Ordinis S. Benedicti Religiosis Religio Christiana propugnaretur dilataretur que. De quibus puto, sic Seneca vaticinatus est:

Secund. dialog. l. Gr. M. c. 8.

Venient annis
Sæcula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus. Typhisq; novos
Detegat orbes
Nec sit terris vltima Thyle.

Proinde ecce Confessor magnus in Ecclesia Christiana Catholica ipsius Ordo S. Benedicti. Factus est quasi Navis institoris de longe portans panem cœlestis Evangelij esurientibus nationum populis, effulgens quasi stella matutina in medio nebulæ; & quasi Luna plena in diebus suis lucens; & quasi Sol refulgens, sic iste effulsit, in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ; & quasi flos rosarum in diebus vernis & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquarum, & quasi thus redolens in diebus æstatis, quasi ignis effulgens; quasi vas auri solidum ornatum omni lapide precioso, quasi oliva pullulans, & quasi Cypressus in altitudinem se extollens: quasi vinea florens spirans odorem suum, ac fructum reddens in tempore suo. Circa illum steterunt populi, virtutem sapientiæ degustantes, audientesque Evangelizantem in Prophetis dignitatem scripturarum in salutem sanctissima verba; in terram alienigenarum gentium pertransijt, qui enarrant gloriam ejus.

Ne ergo P. P. ac F. F. labores ac pericula hujus vitæ caducis pro gloria Dei Christique Ecclesia subire, formidetis. Fidem servate, castitatem temperantiamque retinete, cursum vestrum consumite, de quo vobis reposita est in cœlis certissima æternarum deliciarum pacis & deliciæ corona. Firmiter ob oculos venerandum illud vaticinium ad Patres Insulæ Lirinensis factum reponite, ac observate, quod lib. 1. ligni vitæ Arnoldus Wion refert: Primo videlicet, quod nullus in Ordine nostro morietur nisi in statu salutis: Secundo; Quod omnis qui hunc Ordinē perseverando persequetur, mala morte morietur: Tertio; Quod omnes qui hunc Ordinem amore & benevolentia prosequentur bonum finem vitæ habebunt. Quarto; quod hic Ordo vsque ad finem mundi durabit, & perseverabit. Quinto; quod Ordo S. Benedicti pro Ecclesia Catholica in fine mundi stabit depugnabitque fortissimè & fidelissimè, ac plurimos adversus gentiles hostesque fidei confortabit. Hoc ergò singulare Privilegium sacrosancti Spiritus munere Sanctissimo Benedicto elargitum, nunc jam ex parte hoc sæculo in novi Orbis Americani conversione ad Christi fidem per suos Monachos expletum est. Et si quid jam his vltimis temporibus nos in hoc gratiæ singularis & virtutis opere contra gentes atque hæreticos profeciſſe animadvertitis, satagite & in posterū providete Fratres Chariſſimi; vt quod Christo Domino, atq; ipsius Catholicæ Ecclesiæ jam acquisiviſtis, vt in futurum etiam cum homo perditionis vltimam huic mundo Catastrophen impegerit, Christi Salvatoris auxiliante gratia vestræ laudis brabēum retineatis. Non enim minor est virtus quærere, quam parta tueri. Proinde ô vos Ecclesiarum Prælati vigilate. Vos verò ô Principes Christiani Catholici scutum fidei, & fortitudinis assumite, Regnis vestris copijs providetote, vt infames ab Ecclesia Dei hæresium lupos arcere valeatis. Conturbatæ sunt etenim gentes, & inclinata sunt Regna; mota est terra, propè est jam dies, & adesse festinant tempora vt S[illegible]hum illucescat, & ab hujus mundi operibus cessetur. Evolutus est jam suis periodis & directus hic mundus Monarcharum Planetis, Assyrio, Medo, Græco, Romano: Gallo, Germano, &

nunc

nunc regnantis fulgidissimo sidere Joviali Hispano: septimam & vltimam Saturni omnia devastantis ac devorantis sphæram filius perditionis rotabit, qui Regum decem cornua diruet. Quis enim non vel minutus historiæ studiosus novit Machometem cum assectis, qui præcursor est Antichristi, jam Regnum Græciæ, Asiæ, Syriæ, Ægypti, Affricæ suo Pseudoprophetæ non attribuisse, & subjecisse? remanent adhuc cornua quatuor: Italia, Germania, Gallia, Hispania, quorum Deus in longum ævum prosperum & victoriosum Regiminis sub Catholica fide conservet Imperium. Atqui pestifera Hæresis vndecimum cornu erigit, Gigãtomachiamque adversus Catholicam Ecclesiam cum suo futuro Antichristo molitur. Proinde ô Primates, ô Prælati, ô Principes vigilate, luposque arcete. Romanum enim ovile ad subversionem impetitur; neq; amplius si Prophetiæ spiritu Episcopi Malachiæ creditur, orbi & vrbi summos Pastores supereſſe quam triginta duos enunciant, deinde finem Orbis adesse. Septicollemq; vrbem diruendam ac evertendam prænũciat. Quærere autem quispiam posset, ô bone Christe Deus, cur tot mille millia hominum myriadas tantis sæculorum elapsis temporibus tam serò ad tui sacri Nominis agnitionem nunc primum advenire & illuminare volueris, omnibus suorum Parentum prædecessoribus in his amplissimis Regnorum Insulis in infidelitate ac tenebrarum impietate deperditis?

Vid. S. Bernh. in vita S. Malachiæ Episc. & Arnold. Vion de lign. vitæ p. 1. lib. 2. fol. 311.

Cur tantam proh dolor sanguinariam carnificinam à dæmonibus seducti tam diu toleraſti? nonne omnibus hominibus pariter tuæ providentiæ thesaurum exhibuisti? Cur virtutis tuæ dexteram, patientiam, comminationem, severitatem, justitiam, sapientiam, beneficentiam, his Americanorum populis efficaci gratia prolongasti? A; A; A; Domine, nescio loqui, Iudicia enim tua abyssus multa. Iudicia enim tua Domine aliquando manifesta, aliquando occulta: sed semper justa sunt judicia tua Domine. Ais enim: Mane astabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem Tu es. Fiat igitur cor meum immaculatum in justificationibus tuis, vt non confundar. *Psal. 5.*

Quis enim tam audax, vt Regis sæculorum immortalis & invisibilis prædestinationis ac præscientiæ bonitatis atque justitiæ profundum pelagum investiget, perscrutetur, aut dimetiatur? Nonaginta novem oves in cœlo reliquisti, vt perditam vnam ovem in terris redimeres. Sed ô bone Christe quot centies centena millia hominum nasci & emori ab initio jam sustinuisti, adhuc tamen vnius deperditæ ovis vicem in cœlo non repleviſti? tanta ne reproborum Angelorum multitudo cecidit cum Lucifero? vt muri Ierusalem in hoc vsque temporis punctum nondum ædificatæ sint? An fortè novem etiam Choros Angelorum ex solis beatificandis hominibus moliris? Super quos tu sapientia Patris constitutus es Rex pacificus Deus factus homo? Quis credat verò hoc modo plures damnatos homines in abysso futuros quam dæmones? cum tot ab illa cœlesti Ierusalem cives reprobentur? Cadent enim à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem electum atque prædestina-

ſtinatum non appropinquabit? Quis modo inter electos locum ſibi polliceatur? aut ſalutem ſuam in timore & tremore admonente Apoſtolo non operetur? Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Sunt enim E heu vaſa figuli multiplicia, honorabilia & contemptibilia: lux quidem veniſti in mundum ô Chriſte Deus, ſed dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. O ingrati in Europa Chriſtiani, in profundo vitiorum ac impœnitentia ſcelerum depreſſi. Siccine gratiam Sacerdotibus Domini refertis? qui vos in hæreditatem Chriſti per Sacramentorum adminiſtrationem adoptarunt? quos non ſolum quandoque ſubſannatis, ſed & deſpoliatis bonis ijs, quæ primi infideles veſtri Parentes cum Chriſti flumine abluerentur, munificentiſſimè cumularunt? O perfidi hæretici Monachorum Sacerdotumque oſores & hoſtes, omnis fraudis & nequitiæ Architectones, blaſphemi almæ veritatis Catholicæ oppreſſores ipſisque Canibalibus crudeliores animarum latrones atque carnifices? Hancciné refertis gratiam Chriſto, qui per ſuos Catholicos Sacerdotes jam ante multa ſæcula vobis gratiam Sacramentorum ac veri verbi Dei notitiam impertitus eſt? Te te ad tribunal Chriſti advoco, ô Germania,
Apocal. c. 9. ô Anglia, cæterasq; quas veſtro Lutherico, & Calviniſtico veneno vt alteri de abyſſo illo fætenti erumpentes, deſpurcatæ locuſtæ mendacijs atque hæreſibus infeciſtis & interfeciſtis Regiones Europæ? voſne vinea electa Domini Sabaoth in Eccleſia Dei; germen verum & electum quod plantavit venerabilis Ordo Monachorum Beatiſſimi Benedicti? Non vos, non vos, per Evangelij doctrinam primitus rigavit ſtigmaticus Calvinus, ſed caſtiſſimus Anſelmus & Auguſtinus Romanus? Non vos plantavit turpiſſimus Lutherus, Wicleſus, Beza, Viretus, Buzerus, Sed Sanctiſſimus Papa magnus Gregorius, Rupertus, Beda, Mellitus, Adalbertus, atque Germaniæ Apoſtolus & Martyr Bonifacius. Hi vos veri Dei Verbi Præcones atque Paſtores Chriſtum edocuerunt, ac fonte Baptiſmali mundarunt ac illuſtraverunt, qui in tenebris gentilitatis & vmbra mortis ſcelerumque lacuna, vt hi Americani vincti & conſtricti cõſidebatis.

Veniet aliquando dies magna & amara valde, cum vos ô Hæretici Gigantes, qui beſtiæ imaginem, omnis infidelitatis & rebellionis nunc adoratis, & mendaces Prophetæ ac Rabi dici concupiſcitis, cum fidelis
Apoc. c. 20. ille & veridicus pugil adveniet gladio oris ſui, & vna cum beſtia magna Apocalypſis vos deturbabit, in lacum ignis & ſulphuris in æternum ardentis. Sed quid his ſurdis ſerpentibus Vipereoque generi, qui obdurãt aures ſuas ad vatem prophetantis ſapienter, vltra loquamur? Recede ab his ingratis ô Chriſte Hypocritis, labatur pes in tenebris eorum, & maledic ſceptris ipſorum, quoniam egreſſus eſt diabolus ante pedes eorum & infecta eſt terra eorum in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum, quia contempſerunt viam Domini, & ſemitam Catholicæ fidei diſſipaverunt. Locuti ſunt enim ad populum tuum lingua doloſa, & ſermonibus iniquitatum ac Hæreticis Logogriphis circumdederunt

&c.


dominus dabit verbum euangelizantibꝫ: virtute multa,
Laute gentes lauate stolas vestras in sanguine agni.
Omnes gentes quascunq; fecisti
venient et adorabunt coram
te Domine psal. 85.
18



runt eos. E contrario verò laudem dicant Domino Deo nostro Americani populi, qui redempti sunt à servitute peccati, perfidiaque infidelis Babylonis, vociferenturque, cecidit, cecidit Babylon magna, & â modo non erit amplius. Dies sanctificatus illuxit nobis per fidem Catholicam; Rex pacificus in civitate David per fidem suam magnificatus apparuit nobis: notum enim fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam, recordatus est misericordiæ suæ. Cõfundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis. Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timetis eũ, pusilli & magni Alleluja, Alleluja. Levemus & nos Fratres chariſſimi vna cum his gentibus ac populis vocem nostram, atque laudemus Dominum, & annunciemus in doctrinis inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus; quia viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Notas facite in populis adinventiones ejus: mementote quoniam excelsũ est nomen ejus. Cantate Domino quoniam magnificè fecit; annunciate hoc in vniversa terra. Laudemus & superexaltemus eum quoniam glorificatus est, hinniuntque de mari nationum populi; in Insulis magnum Nomen Domini Dei Israël: à finibus terræ laudes ejus audivimus; & majestatem gloriæ Salutaris Agni Dei Iesu Christi Domini nostri Redemptoris. Cui sit laus, honor, & gloria, cum Deo Patre & S. Spiritu, in sæcula sæculorum Amen.

VATICINIVM
De MESSIA.
Et Evangelij ipsius Prædicatoribus.

Isaias 55. c.

Ecce testem populis dedi eum, Ducem, ac Præceptorem gentibus; Ecce gentes, quas nesciebas, vocabis; Et gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israël, qui glorificavit, & elegit te. &c.

Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore vultus, velortus tui. Erunt enim Reges Nutricij tui, & Reginæ Nutrices tuæ. Isaiæ c. 49.

VIRORVM

Tam vitæ, quam morum sanctitate illustrissimorum, quos S S. Domini Papæ Romani, quam aliorum Regnorum, & Provinciarum Prælati, & Pontifices ad curam animarum, & solicitudinem Pastoralis officij ex ordine S. Benedicti elegerunt, & assumpserunt, Appendix.

In primis.

Sanctissimus Pater Noster Benedictus, Magnus Catholicæ Fidei Zelator, & Idololatriæ ex monte Cassino in Italia Profligator & Disturbator.

Huic consequitur S. Gregorius Magnus Ordinis nostri Propagator, qui per suos Monachos tam propria industria AngloBritanniam ad Christi fidem convertit, & multas hæreses ab Ecclesia Catholica propulsavit.

Tertio. S. Augustinus Romanus Monachus, & Discipulus S. Gregorij Papæ Magni cum socijs &c. Ex Monasterio S. Andreæ ad clivum Scauri, qui decem millia Anglorum vna die semel, nempè in Nativitate Domini nostri Iesu Christi baptizavit.

4. *D. Nicolaus Anglus Apostolus Norvvegiæ.*
5. *S. Chilianus, Apostolus Franconiæ, & Martyr.*
6. *S. Evaldus, Apostolus antiquæ Saxoniæ, id est Westphaliæ, & Martyr.*
7. *S. Lambertus Episcopus: Taxandriæ Apostolus, & Martyr.*
8. *S. Bonifacius Episcopus: totius ferè Germaniæ, & Frisiæ Apostolus & Mart.*
9. *S. Stephanus Episcopus: Sueciæ, & Helsingæ Apostolus & Martyr.*
10. *S. Wicpertus, Sorabum, & Frisiorum Apostolus & Martyr.*
11. *S. Albo Abbas, Vasconum Apostolus, & Martyr.*
12. *S. Adalbertus Episcopus: Bohemiæ, Hungariæ, & Poloniæ Apostolus, & Mart.*
13. *S. Benedictus Episcopus: Poloniæ Apostolus, & Martyr.*
14. *S. Bonifacius Episcop. Hunnorum, Sclavorum, & Russorũ Apostol. & Mart.*
15. *S. Gerardus Episcopus: Hungarorum in Pannonia Apostolus, & Martyr.*
16. *S. Adalbertus Episcopus. Non autem Albanus; Ruthenorum, sive Russorum destinatus Wandalorum Apostolus.*
17. *S. Brunus Episcopus: Prussorum, & Lituanorum Apostolus, & Martyr.*
18. *S. Chilienus Episcopus: Attrebatensium Apostolus.*
19. *S. Willibrordus Episcopus: Regni Frisiæ Apostolus.*
20. *S. Amandus Episcopus: Brabantiæ, Flandriæ, Sclavonum, & Vasconum Apostolus.*
21. *S. Willfridus Episcopus: Hollandiæ Apostolus.*
22. *S. Ludgerus Episcopus: Saxonum & Frisiorum Orientalium Apostolus.*
23. *S. Svvibertus Episcopus: Frisiorum, Hollandorum, & Saxonum Apostolus.*
24. *S. Ansgarius Episcopus: Sueonum, Gotthorum, Danorum, & Aquilonariũ partium Magnus Apostolus.*
25. *S. Otto Episcopus: Pomeranorum in Sarmatia Apostolus.*
26. *S. Vicelinus Episcopus: Wandalorum & Slavorum Apostolus.*
27. *S. Lebuinus Episcopus: Transiselanorum Apostolus.*
28. *S. Wimo Episcopus. Gothorum Aquilonarium Apostolus.*

De his Viris & alijs Apostolicis si quis plura cupit discere, consulat lignum vitæ, ornamentum & decus Ecclesiæ in quinq; libros divisum D. Arnoldi Wion Belgæ Duacensis. Editum Venetijs.

Ordinis

Ordinis S. P. Benedicti.

ACademiarum Fundatores (nam illustria Gymnasia lubens, & privata studia in Claustris prætereo) in primis fuerunt.

1. S. Alcuinus Abbas. de quo sic Arnold. Wion. Cum autem esset in omni scientiarum genere suo tempore celebratissimus, Caroliq; Magni Imperatoris Præceptor, qui eum Magistrum suum delicioſum vocabat, ad S. S. Ecclesiæ laudem, reique litterariæ commodum, studium Parisiense â Roma translatum primus omnium institutit, quem sic quidam Poëta celebrat:

Quid non Alcuino facunda Lutetia debes?
Instaurare bonas ibi qui feliciter artes,
Barbariemq; procul solus depellere cæpit.

2. Est S. Neotus Monachus. Is sub Alfredo Rege Anglorum Oxonienſem Vniversitatem in Anglia excitavit: quam Athenas Anglorum ob bonarum omnium disciplinarum studia vocitabant.

3. Studium fuit Cantabrigiense, à 4. Monachis nostris promotum, & celebre factum sub Henrico primo Anglorum Rege. Quod postea Regnante Rege Eduardo primo facta est Vniversitas, sicut est Oxonia, per Cũriam Romanam.

4. Academiæ Papiensis Fundator fuit Joannes Scotus, Monachus Londinensis: Is fuit V. Bedæ discipulus. Hic ex Imperio Caroli Magni in Italiam transiens, Papiæ Vniversitatis illius fundamenta jecit: ac primus ibidem liberalium Artium Doctor extitit; quæ deinceps Universitas in eum, quem nunc videmus, splendorem excrevit.

FINIS.

In Annotationem Bibliopolæ.

Numero 1.	fol: 7.
Numero 2.	fol: 11.
Numero 3.	fol: 21.
Numero 4.	fol: 28.
Numero 5.	fol: 32.
Numero 6.	fol: 36.
Numero 7.	fol: 44.
Numero 8.	fol: 49.
Numero 9.	fol: 53.
Numero 10.	fol: 59.
Numero 11.	fol. 61.
Numero 12.	fol. 68.
Numero 13.	fol: 71.
Numero 14.	fol: 78.
Numero 15.	fol: 49. 91.
Numero 16.	fol: 91.
Numero 17.	fol: 95.
Numero 18.	fol: fin. 101.

01836

ERRATA.

Secundum paginas & versus.

Pag. 5. ℣. 32. *Atlanticum leg. Atlanticum. ibid. ℣. 33. tranfretare, l. transfretare. ibid. autumnabantur, l. autumnabant. pag. 6. ℣. 15. sulcantas, l. sulcantes. ibid. ℣. 21. pretiosos l. pretiosos. ibid. ℣. 34. Heroa l. Heros. pag. ℣. 43. seipsam l. seipsum. pag. 9. ℣. 10. & alij. Cælum l. & alij qui Cælum. ibid. ℣. 22. circundatum l. circundatam. ibid. ℣. 26. Galasse l. Gallasse. pag. 10. ℣. 17. comminiscuntur l. comminiscuntur. ibid. ℣. 32. Ctrisq; l. Ctriusq;. ib. ℣. 39. onerareum l. onerarium pag. 11. ℣. 7. langitudo l. longitudo. ibid. ℣. 23. fortunatæ l. fortunamq;. ib. ℣. 9. tollerabi'ius i. tolerabilius. ibid. ℣. 13. Oceano l. Oceano. ibid. ℣. 21. prægnandis l. pragnandis. ibid. ℣. 37. excultæ l. exculti pag. 12. ℣. 6. Historica l. Historia. pag. 13. ℣. 27. totæ l. totæ. ibid. ℣. 39. nuper l. nuper pag. 14. ℣. 38. Brtanici l. Britannici. pag. 15. ℣. Olt ruffus l. rufus. pag. 18. ℣. 1. transmittenta l. transmittenda. ibi. ℣. 27. formidabant l. formidabam. pag. 19. ℣. 30. nonas l. noȣae. pag. 20. ℣. 17. cachino l. cachinno. pag. 22. ℣. 27. pratiosæ l. pretiosæ. ibid. ℣. 42. audatius leg. audacius. pag. 23. ℣. 3. sine l. sive. ibid. ℣. 36. præsumas l. præsumant. pag. 25. ℣. 15. erumnis l. arumnis. pag. 27. ℣. 30. Romam omitte. ibi. ℣. 42. ad naVigantum l. ad naVigandum. pag. 28. ℣. 27. Armenicam l. Americam. ibid. ℣. pen. commisserabileq; leg. commiserabileq;. pag 30 ℣. 2. persiclitatus l. peri clitatus. ibid. ℣. Olt. quidem l. quidam. pag. 33. ℣. 18. mappalia l. mapalia. ibid. ℣. 20 gerris l. generis. ibid. ℣. 25. craneaq; l. craniaq;. ibid. ℣. 42. stenditemq; l. identidemq;. pag. 34. ℣. 14. effectas l. effætas. pag. 35. ℣. 29. aurea l. area. ibid. ℣. 13. ille l. illi. pag. 36. ℣. 18. Hostia l. Hostiæ pag. 37. ℣. 15 proflagatissime l. profligatissime. ibid. ℣. 36. illia l ilia. pag. 38. ℣. 6. fœtissimi l. fœdissimi ibid. ℣. 30. egregia l. egregiè. pag. 39. ℣. 3. conVetti l. conVerti. ibid. ℣. 23. deffendendo l. defendendo pag. 40. ℣. 18. metus. Ergo l. metus ergo. ibid. ℣. 25. sagitisq; l. sagittisq;. ibid. ℣. 26. cataVeribusq; l. cadaVeribusq;. pag. 41. ℣. 38. singularis l. singulis. pag. 42. ℣. 11. sequebebantur l. sequebantur. ibid. ℣. 19. gossimpsuus l. gossipinis. ibid. ℣. 21. sparsistiaram l. sparsis tiaram. pag. 43. ℣. 28. & paticntiaq; l. & patientiæ pag. 44. ℣. 13. attroci l. atroci. ibid. ℣. pen. harotici l. hæretica. pag. 45. ℣. 12. rutibus i. rudibus. ibid. ℣. 36. Vacueri l. eVacuari. pag. 46. ℣. 21. populos l. populis pag. 47. ℣. 17. attrociter l. atrotiter. ibid. ℣. 19. splendendem lege splendentem. ibid. ℣. 35. asuetum l. assuetam. pag. 48. ℣. 36. damonium l. damonem. ibid. ℣ 37. interpratati l. interpretati. pag. 49. ℣. 33. tantorum l. tantarum ibid ℣. 41. pracioſſiſſimisq; l. preciosissimisq;. pag. 51 ℣. 2. Archiducis l. Archiduci. ibid. ℣. 26. excellentiſſimè l. excellentissima. ibid. ℣. 32. posæi l. posita. pag. 52. ℣. 10. Myxopole l. Myropolæ. pag. 53. ℣. 3. sattiva l. sativa. ibid. ℣. 40. drietenis l. arietinis. pag. 54. ℣. 39. prios l. prius. pag. 55. ℣. 6. prætosior l. pretiosior. ibid. ℣. 28. cum cum l. cum. pag. 57. ℣. 1. attrociter l atrociter. ibid. ℣. 2. exurent l. exurerent. ibid ℣. 16. autumnandum l. autumandum. ibid. ℣. 25. cols l. colere. pag. 58. ℣. 7. 1483. l. 1493 pag. 60. ℣. 8. attrociter l. atrociter. pag. 61. ℣. 2. miriſtitus l. miristicis. ibid. ℣. 15. prætosis l. prætosis. pag. 62. ℣. 6. obtineret l. obtinerent. ibid. ℣. 41. proplema leg. problema. pag. 64. ℣. 18. nongentorum l. noningentorum. pag. 65. ℣. 9. intollerabile l. intolerabile. pag. 66. ℣. 2. Arcta l. Arca. pag. 67. ℣. 11. nongentorum l. noningentorum. ibid. ℣. 21. exploratibus l. explorantibus. ibid ℣. pen. quodam l. quadam. pag. 68. ℣. 2. Vicem l. Vice. ibid. ℣. 3. fœdus l. fœtus. ibid. ℣. 19. fædere l. fœdere. pag. 69. ℣. 41. Voluptatem l. Voluptatum. pag. 70. ℣. 14. sestatos pellucitos l. cyathos pellucidos. ibid. ℣. 22. Regnis l. Regi. ibid. ℣. 37. reuens l. tenens. ibid. ℣. 43. chalibeaq; l. chalibeoq;. pag. 72. ℣. 4. eorum l. earum. ibid. ℣. 18. connatur l. conatur. ibid. ℣. 25. puniandosq; l. puniendosq;. pag. 73. ℣. 21. eum l. eam. ibid. ℣. 23. simile l. simili. ibid. ℣. 41. inequè l. iniquè. ibid. ℣. Olt. inuebat l. innuebat. pag. 75. ℣. 43. asueta l. assueta. ibid ℣. Olt. exulis l. epulis. pag. 76. ℣. 17. effosis l. effossis. pag. 77. ℣. 15. præciſoſſimum l. preciosissimum. ibid. ℣. 18. materiè l. materia. ibid. ℣. 35. libidu l libitu. pag. 78. ℣. 2. aus l. aut. ibid. ℣. 21. ruffum l. rufum. pag. 79. ℣. 28. subdilitatum l. subtiltatum. pag. 80. ℣. 36. exempli l. exempti. pag. 81. ℣. 16. exiguunt l. exigunt. ibid. ℣. 35. pratiosi l. prætiosi. ibid. ℣. 38. & ℣. 41. gemifera l. gemmifera. pag. 82. ℣. 17. frequentiſſimæ l. frequentissimi. ibidem ℣. 24 effluet l. effluat. ibidem ℣. 25. sapiuscula l. sapiuscule. pag. 84. ℣. 3. aliquid l. aliquod. ibidē ℣. 25. dyram l. diram. ibidem ℣. 31. accedia l. acedia. pag. 85. ℣. 12. coloratorum l. coloratarum. ibidem ℣. 27. Peruana lege Peruano. ibidem ℣. pen. Mellitam lege Melitam. pagina 86. ℣. Olt. Attalipam lege Attabalipam. pagina 88. ℣. 42. edita lege edita. pagina 90 ℣. 7. & his lege & hos. ibidem ℣. 24. attrociaq; lege atrociaq;. pagina 91. ℣. 9. foli lege folij. ibidem ℣. 19. ocliti lege olidi ibidem ℣. 24. eVelles lege eVellas. ibidem ℣. pen. auro, lege aurato. pagina 92 ℣. 13. dillaniabat. lege dilaniabant. pagina 93. ℣. 24. dudecim lege duodecim. ibidem ℣. 26. gratu lege gratum. pagina 94. ℣. 38. putuit lege puduit. pagina 95. ℣. 17. egrè lege agrè. ibidem ℣. 34. Occidentales lege Occidentalis. pagina 96. ℣. 15. ordinantis lege ordinandis.*

Errata Idsomatis Hiſpanici & Italici.

Folio 26. Verſu Italico 2. ordinata, lege ordinaȣa. ibidem deȣȣa lege doȣȣa. Folio 26. Verſu 4. detto lege eletto. folio 26. ℣. 9 era lege era. folio 53. Verſu latino, 17. Concilon lege Comilon. folio 63. ℣. 3. llamur lege llamar. ibidem ℣. 8. carozen, lege carezen. folio 67. ℣. 3. el Auſtro, lege el Oriente. Quanta à latitud, declina haZia el Auſtro por. 5. grados. ibidem ℣. 4. cuidat, lege ciudat. ibidem ℣. 5. teigo lege trigo.

J621
P565n
1-SIZE